COLLECTIO ROMANA BIPARTITA VETERUM ALIQUOT...

Lucas Holstenius, Francesco Barberini, Caracciolo

Digitized by Google

7
10-b
29

8 D. 30

Q. I. m. 3.

7. - 10. b. 29.

Y9
E
5

18
D
21

COLLECTIO ROMANA BIPARTITA

VETERVM ALIQVOT HISTORIÆ ECCLESIASTICAE MONVMENTORVM,

EDI COEPTA

A LVCA HOLSTENIO

Vaticanæ Basilicæ Canonico, & Bibliothecæ Præfecto, dum viueret:

Absoluta post eius obitum; Notis ipsius Posthumis adiunctis.

EXBIBLIOTH CARACCIOLORV

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Typis Iacobi Dragondelli. MDCLXII

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

S. D. N.

ALEXANDRO VII.

PONTIFICI MAXIMO.

FRANCISCVS BARBERINVS
S. R. E. Card. Vicecancell.
FELICITATEM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CONCILIA vetera nouem, cum duabus & quinquaginta Epistolis Pontificum priscorum; aliquot item Literis & Constitutioni-

bus Imperatorum ; aliaque nonnulla eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta pretioſa: quæ omnia Lucas Holſtenius, partim è Vaticana, cui Cuſtos erat appoſitus, partim ex alijs Bibliothecis, aut Archijs ſtudioſè collecta producere, dum viueret, in lucem iuſſu tuo, BEATISSIME PATER, ac ſumptu cœperat: ea ego, adiectis quæ deerant, integrè excuſa, ac, quoad licuit, è ſchedis Editoris poſthumis emendata & ornata, offero ecce Sanctitati Tuæ, non vno ad id nomine adſtrictus. Nam & tabulis modo memorati Holſtenij ſu-

premis

premis ſcriptus heres , hoc quaſi fideicommiſſum, depoſiti religione reddere ac reſtituere, cui deſtinatum eſt, debeo: & propria dudum deuotione impellor ad ea, quæ Tuæ Beatitudini grata ac iucunda fore ſentio , diligentia quam maxima curanda. In idipſum etiam cum officio priuato conſpirat publicum. Titulum videlicet ac munus gero S. R. E. Vicecancellarij, hoc eſt, Tabularij Apoſtolici Cuſtodis, cuius eſt Sanctiones Põtificias è ſacris ſcrinijs proferre, cum opus eſt, ſigillo & cæteris idoneis legitimè ritibus munitas

ad fidem authenticæ veritatis. Quæ mea eius generis cura etsi solet elaborare frequentiùs in recentibus, atque in dies emanantibus è suprema Petri cathedra Statutis viuentium Pontificum: tamen opinor nihil prohibet, quominus exemplo Euangelici Scribæ, præter noua, vetera quoque educam ex Apostolico thesauro: quando præsertim, vt nunc, spes ingentis inuitat operæpretij. Eruditorum, qui hæc viderunt, BEATISSIME PATER, concors opinio est, multa in hac Collectione reperiri quæ Orthodoxum dogma sanciãt, quę iura vetera

Sedis

Sedis Apoſtolicæ illuſtrent, quę laxitatem obrepentem hodiernis moribus, cinctu quaſi ſeueriori diſciplinæ veteris adſtringant: quæ denique pleriſque inquieti huius & factioſi ſæculi malis, maximè autem prurigini nouitatum, (quæ cæterarum ferè peſtium fons eſt) aptiſſimum remedium eſſe poſſint. Verùm de vtilitate ac præſtantia horum Actorum non aliud requirendum teſtimonium eſt, poſt grauiſſimum Tuæ Sapientiæ præiudicium, quo illa tanti habuiſti, vt ære tuo in editionis pretium liberaliter effuſo, publicationem eorum vrgendam

duxeris. Fortunet vtinam factum cœleſte numen: & quem ſperauimus fructum vel eruditionis, vel exempli ſalutaris, tum Orthodoxi, tum errantes ex hiſce percipiant. Ita Deus Opt. Max. Eccleſiæ ac mundo, BEATISSIME PATER, ſeruet incolumem Sanctitatem Tuam, non in hunc ſolum, quem læti mox auſpicabimur, octauum Tui Pontificatus annum; ſed & in conſequentes quoque plurimos omni felicitate cumulatos. Scribebam Romæ Kal. Martij An. MDCLXII.

TYPOGRAPHVS

Eruditis Lectoribus.

IVVAT aliquando dispungere vetus nomen, & Depositum cuius pridem me reum fateor, repræsentare bona fide. Illustrissimus Lucas Holstenius instituto suo antiquo de Republica literaria bene merendi, Synodos aliquot, plures Literas Pōtificum, aliaque Ecclesiasticæ veteris memorię κειμήλια rara typis excudenda meis; & quidem duplici simul prælo, curare cœperat, antequam ad plures iret. Eo elato, ista folia diu apud me fuere, innominata, & imperfecta, hoc est, sine principio & fine. At titulum quidem & clausulam supplere non fuit difficile. Opus, sic ipsa re monente, inscripsimus, vt in fronte cernitur. Quæ ad destinati voluminis cumulum deerāt, è codicibus superstitibus ex-

ple-

pleuimus. Indices insuper adiecimus. Hactenus poteramus, at in vno aqua hærebat. Obseruationes quas Editor promiserat, & hæc Acta poscebant, non comparebant. Hic nodus, vt verum fatear, negotij fuit; & legitima, ni fallor, longæ dilationis excusatio. Tandem, vt aliquid expediretur, aceruos chartularum è scrinijs τῦ μακαρίτε euoluimus, folia excusa ipsius relegentis erudita manu passim conscribillata lustrauimus, è confusissimis schedis, lectitando, comparando, diuinando, quod vtile visum est, excerpsimus, digessimus. Sic sunt illæ, quas ad calcem Operis videtis, Obseruationes natæ. Atque vtinam in ijs Aduersarijs vel istiusmodi tenuia semina Notarum sat multa reperissemus ad cuncta hæc antiqua Monumenta, prout decuit, ornanda. E nouem Synodis de vna ferè & altera, Bonifatiana, & Leonis IV, & Bonifatianæ insertis Epistolis sex & viginti, quiddam illic legitur in cætera præter-

terquam in Synodicam Damasi, annotatum admodum nihil ab anxiè quærētibus repertum. Quæ inuenimus, damus: quæ nusquam sunt, nec supplere facultatis fuit nostræ, nec fingere fidei. Vos decet, Æqui Lectores, satis accipere, quæ offerre possumus, reliquorum desiderium ferre vnà nobiscum, & hisce qualibuscumque fauere conatibus. Valete.

COLLECTIONIS

ROMANAE

Veterum aliquot Historiæ Ecclesiasticæ monumentorum

PARS PRIMA,

in qua continentur

SYNODVS *Romana sub Bonifatio Papa* II. *pag.* 1. *ad* 163. *ex Biblioth. Barberini, in qua Libellus Stephani Lariſſæ Epiſcopi ad Bonifatiũ.* 3

Eiuſdem ad eumdem. 20

Elpidÿ, Stephani, & Timothei Epiſcoporum ad eumdem. 31

Epiſtola Damaſi ad Acholium. 37

Eiuſdem ad eumdem. 42

Siricÿ ad Anyſium. 43

Innocentÿ ad eumdem, 45

Eiuſdem ad Rufum. 47

Bonifatÿ ad eumdem. 51

Eiuſdem ad eumdem. 54

Eiuſdem ad eumdem. 60

Eiuſdem ad Epiſcopos Theſſaliæ. 65

Eiuſdem ad Rufum & alios. 69

Honorÿ Auguſti ad Theodoſium Aug. 81

Theo-

Theodosii Augusti ad Honorium Aug. 83
Cælestini ad Episcopos Illyrici. 85
Xisti ad Episcopos in Synodo Thessalonicensi congregandos. 90
Xisti ad Proclum. 93
Xisti ad Episcopos Illyrici. 97
Valentiniani & Marciani Augg. ad Leonem Papam. pag. 103
Leonis ad Marcianum Aug. 107
Eiusdem ad Anatolium. 116
Eiusdem ad Marcianum. 127
Anatolij ad Leonem. 132
Leonis ad Anatolium. 137
Eiusdem ad Anastasium. 143
Eiusdem ad Metropolitanos Illyrici. 152
Eiusdem ad Metropolitanos Asiæ. 158
SYNODVS *Romana sub Damaso Episcoporum* XCIII. *pag.* 165. *Ex Bibliotheca Barberina.*
Ex Concilio Vrbis Romæ sub Damaso Papa de explanatione Fidei. 178
Epistola Damasi ad Paulinum Antiochenum. 180
Syricij ad Anysium & cæteros Episcopos Illyrici. pag. 189
Simplicij Papæ ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum. 194
Bonifatij ad Cæsarium. 200
Gelasii ad Cælestinum. 207

Eius-

Eiusdem ad Sabinum. 208
Eiusdem ad Quinigestum & Constantinum. 208
Eiusdem ad Victorem. 209
Eiusdem ad Respectum & Leoninum. 211
Eiusdem ad Iustum & Stephanum Episc. 212
Eiusdem ad Maioricum, Serenum, & Ioannem Episcopos. 213
Eiusdem ad Ioannem Episcopum Pisanum. 215
Eiusdem ad Natalem Episcopum. 215
Eiusdem ad Clerum & plebem Brendesij. 217
Pelagij ad Ioannem Patricium Caburtarium. 219
Eiusdem ad Viatorem & Pancratium. 223
Eiusdem ad Valerianum Patricium. 227
Eiusdem ad Cethegum Patricium. 232
Eiusdem ad Eleutherium. 234
Eiusdem ad Asterium. 235
Eiusdem ad Vincentium Neapolitanum, Geminum Puteolanum, & Constantium Misenati Episcopos pag. 236
Eiusdem ad Benegestum Defensorem. 237
Eiusdem ad Ioannem Comitem Patrimonij. 238
Eiusdem ad Anilanum Comitem. 239
Eiusdem ad Elpidium Catanensem Episcopum. 240
Eiusdem ad Laurentium Centumcellensem Episcop. pag. 241
SYNODVS *Romana sub Bonifatio* IV. *pag.* 242 *ad* 248. *continens*

De-

Decretum Synodale Bonifatij IV. *promulgatum in Concilio Romano* III. 242
Eiusdem *Epistol. ad Athelbertum Regem Anglorum*. 246
Honorij Papæ ad Ioannem *& alios* Epiri *Episcopos. pag.* 248
Eiusdem *ad Sergium Subdiaconum.* 250
Ioannis *Papæ ad Isaac Syracusanum Episcopum pag.* 253
SYNODVS *Lateranensis sub Stephano* IV. *pag.* 257. *ad* 268. *Epist. Dionysii* Exigui *Epist. ad Iulianum Presbyterum tituli S. Anastasiæ.*

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. S. Pal. Apost.

O. Archiep. Patrac. Vicesg.

Imprimatur

Fr. Raimundus Capisucchus S. Pal. Apost. Magister, Ord. Prædic.

ACTA SYNODI ROMANAE SVB BONIFATIO PP. II.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SESSIO PRIMA.

POST consulatum Lampadij & Oreſtis VV. CC. ſub die VII. Iduum Decembrium, in conſiſtorio beati Andreæ Apoſtoli; præſidente venerabili viro Papa Bonifatio, vna cum Sabino Canoſinæ ciuitatis, Abundantio Demetriadæ ciuitatis, Caroſo Centumcellenſis ciuitatis, Felice Numentanæ ciuitatis Epiſcopis: reſidentibus etiam Sanctulo, Mercu-

rio, Viuulo, Petro, Euentio, Hilario, Vrſo, Petro, Bacauda, Gaudioſo, Petro, Epiphanio, Benedicto, Seruo Dei, Innocentio, Paulo, Andrea, Gaudioſo, Petro, Philippo, Valentino, Ianuario, Dulcitio, Ioanne, Redempto, Creſcentione, Cæleſtino, Sebaſtiano, Libertino, Cyriaco, Pullione, Barbaro, Laurentio, Viuulo, Seleuco, Bono, Florentio, Ruſtico & Laurentio presbyteris: adſtantibus quoque Tribuno, Agapito, Donato & Palumbo diaconibus; Tribunus archidiaconus dixit: Theodoſius vir venerabilis Theſſaliæ prouinciæ Echinienſis ciuitatis epiſcopus adſtans præ foribus ingredi deſiderat. quid præcipitis? Bonifatius Epiſcopus eccleſiæ catholicæ vrbis Romæ dixit: Ingrediatur. Bonifatius Epiſcopus dixit: Audientiæ noſtræ tibi copiam tribuimus,

desiderata insinua. Theodosius Thessaliæ prouinciæ Echinensis ciuitatis episcopus per interpretem dixit: Stephanus sanctissimus ac beatissimus Larisseæ ciuitatis episcopus, quæ ciuitas Metropolis est Thessaliæ, libellum per humilitatem meam ter venerandæ Beatitudini vestræ transmisisse cognoscitur offerendum; quem quia præ manibus teneo, deprecor susceptum sibi relegi Beatitudo vestra constituat. Bonifatius Episcopus dixit: fiat. Menas notarius recitauit:

DOMINO MEO SANCTO AC PER omnia beatissimo, & reuera venerando Patri patrum, & vniuersali Patriarchæ Bonifatio Stephanus exiguus Episcopus.

NON irrationabili vsus fiducia adeo nec ignorans meam mediocritatem, sed cum anima contrita

& spiritu humili, & cum multis lacrimis hanc meam vobis offero supplicationem; ideo acceptabilem esse coram te, beatissime Pater, existimo: quoniam & antea & hi qui Deo cum lacrimis supplicabant, tanquam cum holocaustomatibus & arietibus atq; tauris, sed & cum decem millibus agnis pinguibus, confidentes orabant. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernet.* Ergo nec tu ipse, sanctissime Pater, me multis circumdatum malis, & ad Deum solummodo atq; vestram paterna consuetudine pietatem respicientem habebis despectui. Quoniam nullus ecclesiasticus ordo illam vestram, quæ a saluatore omnium & primo pastore vobis est conlata, potest præcellere potestatem; exiguum est vel humile, in quo non prouidentia

Psal. 50.

vestra respicit. Quantũ vos apud Deum omnes præcellitis, tanto vos necesse est cogitare, quia hæc est probatio Deum amantium, vt post Deum pater & doctor sanctæ ecclesiæ Petrus vestræ & totius mundi testatur. Quia Domino dicente tertio: *Amas me? pasce oues meas*; tradidit prius vobis mandatum ostendens, & per vos deinde omnibus per vniuersum mundum sanctis ecclesijs condonauit. Denique per hoc quia venerabiles effecti ante vos, & quáti sanctam illam sedem habere meruerunt, corpore quidem in Romana glorioſa degentes ciuitate, spiritu autem ea quæ rite agebantur omnia ornantes & transgressi, & plurimi ex corpore Ecclesiæ ab inimicorum calumniátium violentia sunt liberati a Deo & a venerabili Apostolica sede. Ioan. 21.

Psal.81. Vnde deprecor, *iudicate humilem; & pauperem, sicut scriptum est, iustificate*. Mihi enim in seculari vita erat antea prouincialis ordo militiæ, mediocriter sicut erat meam vitam humiliter transiebam. sed quia Proclo beatæ memoriæ quiescente, qui factus fuerat Lariſſæ ecclesiæ episcopus, oportebat eidem præsulem Ecclesiæ ordinari, decretum factum est communiter tam cleri quam populi metropolitani, atque eorum, quorum adsensus erat actui necessarius: & secundum priscam consuetudinem tribus electis, Alexandro Sciatensi presbytero, & . . . . . presbytero, ac me exiguo; meliori testimonio sortito electionis palmam promerui. Sed ego conscius mei, indignum me tanto negotio esse iudicaui; totũ autem Dei gratiæ atque clemen-

tiæ libenter assensi. ad latronem atque publicanum & alia huiusmodi plurima exempla respiciés, quos ab extremis malis, & vt dicendum est, ab ipso fundo malorum subito Deus eripuit, animabar; & quædam mihi data est spes boni propositi. Igitur ex omnibus in me electionem contulerunt, in decreto pariter subscribentes. Et quia ordinationem secundum priscam consuetudinem non alibi, sed in eadem ciuitate fieri oportebat, conuenit sancta prouinciæ synodus, & totius ciuitatis possessores, omnesque corpus ecclesiæ, & communi omnium testimonio nihil consuetudini detrahente, in ecclesia sum ordinatus Episcopus. Tantam enim alacritatem rei istius habebat, factumq; amplectebatur Probianus Dei amator, Demetriadæ

ciuitatis Episcopus, vt etiam prouocaret in ecclesia Dei laudem in meæ humilitatis exercere personam. Et vt nihil de me ipso dicente, ex his qui me voluerunt atque elegerunt, datur intelligi, secundum Deum ordinatio ista prouenit. Quapropter deprecor, beatissime Pater, vt mansuete hæc audire digneris. non enim laudem labiorum meorum diligens, sicut scriptum est, hæc suggero: quoniam qui in se gloriatur, apud Deum probatus esse nõ potest: sed vt vobis ista cognoscentibus calumnia quæ aduersus me excitata est, euidenter appareat. Quanta vero deinde dixerint & prouinciales Episcopi, & sanctæ clerus ecclesiæ, ostendens se pro mea electione gaudere, superfluum iudicaui vestris auribus. Quiescente igitur bonorum

omnium inimico, & Deo meæ non respiciente peccata, & nullam perturbationē sustinebat ecclesia, & erat caritas omnium celans delictum, sicut scriptum est. Sed nescio vnde incitati Antonius timoratus presbyter atque dispensator, & Probianus defamator, Demetriadæ ciuitatis Episcopus: illum dico, beatissime, Probianum, qui alios festinantes meas laudes dicere repellens, ipse in ecclesia Dei titulos meæ laudis exercuit: pariter Demetrium Dei amatorem Sciatensis ciuitatis Episcopum, & alios suæ portionis suadentes esse participes, nec subscriptiones quæ in decreto continentur erubescentes; nec Probianus suam laudem & totius ecclesiæ testimonium, sed nec illa quæ dixerunt vel egerunt, quomodo meā amplectentes fieri ordinationem,

quomodo & ante ordinationem grata meâ sibi fuisse personam; quomodo & celebratam ordinationem libenter tulisse; ad regiam Vrbem subito profecti sunt, & quandam componentes accusationem sanctissimo eiusdem ciuitatis archiepiscopo Epiphanio querelas deposuerunt; dicentes, meam ordinationem sanctis canonibus minime conuenire: sperantes vt in meo loco alter subrogaretur episcopus. Ergo ista me incipiente dicere, angustia me vtique detinet. Si enim dixero quæ in me exercuerunt, vel tempestatem quæ nunc vitæ meæ imminet, aut illa quæ minantur, quia sęuiora existunt, nę quis me proteruum aut audacem esse iudicet aliqua dicentem de tanto ac talis ecclesiæ præsule. Si vero ista tacuero vt mihi est, vnde enim

habebo auxilium? sed magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, & vestræ beatitudinis, & pietatis sereniſſimi Imperatoris me committens iudicio, tacere non potui. Cum ergo mea accusatio ad sanctiſſimum archiepiscopum Epiphanium peruenisset, (rursus ac sæpius veniam peto de his quæ dicturus sum, ista non proteruiæ vel audaciæ, sed necessitatis esse iudicetis sanctiſſimi Patres,) commonitorium, sicut ipsi vocant, faciens ad nomen Andreæ viri religioſiſſimi, diaconis & notarij sanctæ suæ ecclesiæ, ad Thessaliam direxit prouinciam, præcipiens me a sacro recedere ministerio, vt pote non secundum canones ordinatum, nulla accusationum probatione, nec canonica euocatione vsus, alios episcopos eiusdem prouinciæ & cle-

rum ſanctæ noſtræ eccleſiæ a mea communione ſuſpendit. & quod eſt nouiſſimũ, nec cibos aut quæ ſunt neceſſaria de rebus eccleſiaſticis me habere permiſit: ſed quæ in conuictis ſolent fieri, hæc in me ante quam aliqua examinatio iudicij proueniret, exercuiſſe dinoſcitur. Etenim in his qui reuera delinquunt plurimæ miſericordiæ ſunt ab eccleſijs conſtitutæ. Hæc ergo Andreas vir religioſus, quem ſuggeſſi ſuperius, in me iuſſus eſt exercere. Vtque eius iudicio, qui me a communione ſuſpendit reſponſurũ meã prẹſentiam exhiberet, Euſtathium Gomfienſis ciuitatis Epiſcopum, atque Elpidium Thebanum, ſed & Stephanum Laminenſem, quaſi magis meæ illicitæ ordinationis, pariter exhibere iuſſus eſt. Demetrium autem & Probianum viros

religiosos, qui antea magna pars meæ fuerant electionis atque ordinationis, habens apud se is qui me ad causam compellebat, in meam perniciem omnino fouebat. Me autem prædictus vir religiosus Andreas ibidem non inuenit, quia ad Thessalonicensem magnam ciuitatem fueram paulo ante profectus: clero autem, & quantos alios potuit reperire congregatis, commonitorium eis relegit, & epistolam ad eos directã. Erant autem ad clerum tales literæ factæ ab eodem sanctissimo viro: gestaque confecit apud defensorem ciuitatis, quorum exempla exiguis meis libellis subdere non omisi. Factus est autem breuis de sacris vasis atque rebus ecclesiasticis: & aliqui ab ecclesiasticorum solicitudine ab Antonio viro religioso, qui conniuebat v-

bique viro religioso Andreæ, sunt remoti. qui prædictus Andreas ad Thessalonicensem magnam ciuitatem veniens, mihi, & Elpidio, atq; Stephano prædictis Dei amatoribus episcopis, quæ iussa atque interminata sunt, ostendit. Ego vero nec accusatorum nec aliquorum conatus metuens, sed ad Deum solummodo, & ad leges sanctæ ecclesiæ, & ad principatum sanctarum ecclesiarum traditum vobis respiciens, mox inter acta dixi; vt si oporteret me ad aliquem accusantem respondere, aut de mea ordinatione aliquid iudicare, non sub eo qui nunc iudicare dignatur, causam me dicere necesse est; sed alibi, apud quem sacrorum canonum lex custoditur, & vsque hactenus consuetudo seruatur: memoriam faciens vestri sancti capitis,

& Apostolicæ sedis; dicens, vos esse dominos huius examinationis: supplicans nihil in me debere noui fieri, aut quod potest bene composita disturbare. Nam qui locus mihi remedij remansisset ad vos beatissimos iudicij dominos, si hæc non dixissem? Sed nec hoc solum dixi, sed aliqua causæ profutura documenta ostendi. Significant autem ista gesta quæ facta sunt, quæ meis exiguis libellis adiunxi, & decretum in me factum & titulos laudis. Ego quidem arbitrabar hanc fidem flagitationis causæ meæ esse potuisse, si vobis, quibus a Deo datum est iudicare, nominatis incompetens se persona subtraheret: non est enim Deus perturbationis, sed pacis. Nec hæc quidem vel alia ad quietem meam sufficere potuerunt: sed inuitus ad re-

giam Vrbem ſum deductus. Et niſi quidam timentes Deum, & repoſitam promiſſionem viſitatione carcerum proſpicientes atque expectantes, meam præſentiam adeſſe promitterent, vinctus vtique fueram homo nullum nocens, ſicut arbitror, niſi cur eligentibus me conſenſi, & ſpei Dei me committens ordinari promerui: & quia fiducialiter dixi, quod ſi oporteret examinationem aliquam fieri, ab eo fieri deberèt, qui eſt huius examinationis dominus conſtitutus: & alia quæ in me facta ſunt, atque exerceri non dubito. Compellor autem, & nec aliquod tempus reſpirationis habeo; nec quis pro me cogitet in tantis cladibus potero reperire. Deteriora vero ab his qui minantur me ſuſtinere confiteor, damnationem, exilium, & quantæ cri-

mi-

minum ſunt viciſſitudines immerenter expecto. Quapropter vnicum nunc a vobis, & veſtræ apoſtolicæ ſedi confidens, remedium poſtulo: *Spes enim*, vt diuinum dicit eloquium, *non confundetur*. Rom. 5
Quod ſi quis eſſet qui præſideret, quem ſancti canones in hoc negotio iudicem eſſe decernerent, oportebat, ſicut exiſtimo, eum prius de accuſatorum vita iudicare, & cognoſcere; quia accuſatores eſſe non poſſunt illius, qui quamuis humilis epiſcopatus honorem promeruit. Sed quia propter fiduciam veſtri, ſicut dixi, offendi; hæc ſunt pro meis partibus præmiſſa, & in quibus malis ſuperius nominaui ſum conſtitutus. ideoque ſupplico vobis, ſi qua eſt Dei miſericordia, ſi qua pietas, ſi qua dilectio, tranſite, & hic ipſum in ſancto Spiritu, ſe-

cundum beatum apostolum, auxilium mihi ferentes, vestri & vestrorum decessorum illius beatæ sedis recordantes, quia nullum vnquam ab aliquo iniuste noceri passi sunt. Siquidem cito succurratis oppresso, confido me a malis meis ea celeritate saluari: si autem, quod absit, mea peccata vestram morauerint pietatem, saltem si aliquid ab insidiantibus velociter fuerit actum, & sic sanctis canonibus adesse vos conuenit, & exequi in his quæ prætermissa sunt. Hoc enim opus vestrum est, beatissime, die ac noctu sanctorum patrum, & venerabilis atque apostolicæ vestræ sedis leges atque constituta in omnibus quidem ecclesiis, præcipue autem in vestra Illyricana prouincia custodire. *Et alia manu.* Stephanus exiguus episcopus sanctæ Lariſſæ

ecclesiæ huic libello a me facto manu propria subscripsi, & domino meo sanctissimo ac per omnia beatissimo, etiam venerandissimo patri patrum & vniuersali patriarchæ Bonifatio destinaui.

Abundantius Demetriadæ ciuitatis episcopus surgens e consessu dixit: Prætermittere non potui audiens nomen Probiani. Is de quo agitur Probianus ipse est, qui meam ecclesiam inuasit, & me veniente ad beatitudinem vestram cum literis Proculi episcopi, captans absentiam meam per temeritatem locum meum vsurpauit; & secundum sanctos canones non debet episcopus nominari. aduersus quem rogo beatitudinem vestram, vt sedis apostolicæ mihi disciplina subueniat. Bonifatius episcopus dixit: Et libelli oblati recitatio, & prosecutio fratris &

coëpiſcopi noſtri Abundantii geſtis indatur; & ſi qua ſunt alia, deſideramus agnoſcere. Theodoſius Echinienſis ciuitatis epiſcopus prouinciæ Theſſaliæ per interpretem dixit: Et alium libellum idem ſanctiſſimus Stephanus metropolitanus epiſcopus ad beatitudinem veſtram per meum direxit obſequium; quem peto vt veſtris ſenſibus relegi cenſeatis. Bonifatius epiſcopus dixit: Libellus quem offert, ſuſceptus a notariis recitetur. Cumque ſuſceptus fuiſſet, Menas notarius recitauit:

DOMINO MEO SANCTO AC BEATISSIMO & reuera venerando patri patrum & archiepiſcopo atque patriarchæ Bonifatio data ſupplicatio a Stephano exiguo.

QVAE antea in ſpe erant, & me-

tuere ac tremere, & sanctam apostolicam vestram sedem inuocare faciebant, hæc cum apprehendissent atque constringerent meam miseram vitam, amplius magis vestram beatitudinem appellare compellunt. *Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutaris.* Libera me ab inimicis meis, & a persequentibus eripe me. etenim circumsperſa est aqua mihi vsque ad animam, venerabilis pater, & abyssus nouissima circumdedit me. ascendat ex corruptione vita mea, sicut scriptum est. Si enim miserationes Dei non præuenerint, ego quidem opus factus sum, quale ipsi voluerunt, inimicorum meorum. Ploro autem atque lugeo, quia dum etiam ecclesiasticus ordo periclitatur. Quoniam enim secundum multam misericordiam Dei, qui hominibus peccata 1. Cor. 6.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EM

minime reputat, in ciuitate Lariſſa, quæ eſt prouinciæ Theſſaliæ; electus ſum atque ordinatus epiſcopus; ex his quidam qui me elegerunt, & ſæpius ſcriptis ſuis ſuam electionem firmauerunt, vt dignus ſacerdotio iudicarer, videntes mei ſtudii eſſe, antiquam conſuetudinem in noſtris ſanctis eccleſiis reuocare, ſeparantes me apud beatiſsimum præſulem ſanctæ regiæ Vrbis eccleſiæ accuſauerunt. Ille autem accuſationem ſuſcipiens, nihil ante diſcutiens de his quæ oportet requiri de epiſcopo accuſato, continuo me ab omni eccleſiaſtico miniſterio ſeparauit: aliquem de religioſis clericis ſanctæ ſuæ eccleſiæ cum literis, quas commonitorium nominant, ad prouinciam Theſſaliam dirigens. Et cum iſta nec ciuilitati nec mundanis legibus conueniant,

nec ordo canonum hoc fieri euidenter admittat, vt ante examinationem iudicii vindicta procedat; olim quam maxime diuina prædicante scriptura: *Auditum inanem ne admittas*. sed tamen cum veniſſet in Theſſalonicam vir religioſiſsimus, qui præceptum deferebat, & aliqua mecum per contentionem exercere voluiſſet, continuo ei dixi: Apoſtolicam ſedem, id eſt, veſtram beatitudinem, cauſas noſtræ prouinciæ & audire conuenit & finire. Sed regiæ Vrbis ſanctiſsimus archiepiſcopus non quieſcens, etiam me contra canones exhiberi præcepit. Et cum veniſſem conuentum faciens epiſcoporum qui ibidem commorabantur, hoc denuo allegare non diſtuli, ſancti ac beati capitis veſtri ſedem apoſtolicam implorans, & conſuetudinem

quæ vſque hactenus in noſtra tenuit prouincia, non debere conuelli: & ſupplicabam, ne auctoritas ſedis apoſtolicæ, quæ vt a Domino noſtro Ieſu Chriſto & a ſacris canonibus data eſt, ita & per antiquam conſuetudinem ſeruata eſt, in aliquo violaretur. Sed nec a ſua voluit intentione recedere: ſed aſſumens audientiam vnum ſtudium habuit, vt in ſanctis Theſſaliæ prouinciæ eccleſiis dominus atque iudex eſſe videatur. Ego igitur fluctuantem tempeſtatem reſpiciens, ad ſanctum tutiſsimum veſtrum portum confugi; & petitionem faciens, hæc ipſa ſuggerens ad veſtram beatitudinem deſtinaui: ſupplicans, vt in me pietatem Dei & ſanctæ eccleſiæ, quæ periclitantibus ſemper ſuccurrit, oſtendas. Sentientes autem, vt arbitror, meæ vitæ

insidiatores, quia non despicitis quæ acta sunt, sed exequimini, sicut sanctitatis vestræ mos est, & ordinem sanctarum ecclesiarum vindicatis, omni conatu vsi sunt, vt antequam aliqua ordinatio vestra proueniat, suam perficiant voluntatem. Cum igitur nihil adprobatum de me fuisset, nec vlla culpa esset canonicæ vltionis digna inuenta, sententiam protulerunt, & condemnantes me a sacerdotali officio suspenderunt. cum me constet non demissum fuisse pro meis plenius partibus allegare: sed & petenti aliqua meæ causæ profutura ostendere, non esse permissum. Quapropter supplicabam, vt non ante sententia diceretur, quam quæ acta sunt ad vos beatissimos referantur; vt inde vestra causæ discussio seruaretur. Quod dictum ma-

gis eos aduerſum me amplius incitauit ; putantes de ſacrarum eccleſiarum regiæ Vrbis iure aliquid minui , quod ego apoſtolicam veſtram ſedem viſus ſum nominaſſe . Etenim dixi , quia auctoritas ſedis apoſtolicæ , quæ a Deo & ſaluatore noſtro ſummo apoſtolorum data eſt , omnibus ſanctarum eccleſiarum priuilegiis antecellit : in cuius confeſſione omnes mundi requieſcunt eccleſiæ . Sententia igitur lecta iuſtam denuo veſtram audientiam imploraui , apud quam nulla cuiuslibet diſceptatio veſtram poteſt diſturbare iuſtitiam : ſed timor Dei qui ineſt in vobis , ipſe vnicuique ſua facit per vos iura reſtitui . Arbitror autem , venerabiles , quia deſpicientes illi quæ olim in me geſſerunt , rurſus & in ſecundis eadem erunt acturi : & ſuſpicor

quia non vsque ad hoc acquieſcant; ſed etiam circa corpus meæ miſeriæ ſuas exerant inimicitias ; vt me obeunte nullus poſſit accuſator exiſtere . Nam cum relecta fuiſſet ſententia , mox in cuſtodiam Dei amatoribus ſacræ eccleſiæ defenſoribus datus ſum . Sed aliqui Deum timentes , & meam miſerantes miſeriam , quod eſſem vndique deſtitutus , in ſua fide ſuſceperunt , multam pro me quantitatem pecuniæ promittentes , quia non recederem , ſed obſeruaturum eſſe in regia ciuitate : hunc habentes magnopere tractatum omnes qui aduerſum me iſta concinnauerunt , vt non poſsim ad veſtigia veſtræ beatitudinis conuolare , & pro Dei mandato aliquam miſericordiam a vobis percipere . Deprecor igitur vos , miſeremini homini humili & externato animo

adiuuate me per gratiam quæ vobis a Domino est conlata. Si enim & alia peccata dimittere potestatem a verbo Dei percepistis, diuina di-
Mat. 16 cente scriptura, quia quod in terra solueritis, hoc & in cælis esse solutum; quanto magis habebitis potestatem in his quæ aduersum me
Psal. 9. acta atque decreta sunt? *Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu es adiutor*. quia ego ab omni humana spe derelictus esse cognoscor. *Et alia manu*. Stephanus exiguus huic supplicationi meæ subscripsi.

BONIFATIVS episcopus dixit: Quæ lecta sunt ecclesiasticis indantur annalibus. Et adiecit: Quoniam diei pars maior exempta est, futura sessione si qua alia superesse credis, intimare non differas.

SESSIO SECVNDA.

POST consulatum Lampadii & Oreſtis vv.cc. ſub die v Iduum Decembrium in conſiſtorio beati Andreæ apoſtoli, præſidente venerabili viro papa Bonifatio, vna cum Sabino Canoſinæ ciuitatis, Abundantio Demetriadæ ciuitatis, Caroſo Centumcellenſis ciuitatis, Felice Numentanæ ciuitatis epiſcopis: reſidentibus etiam Sanctulo, Mercurio, Viuulo, Petro, Euentio, Albino, Vrſo, Petro, Epiphanio, Benedicto, Seruo Dei, Gaudioſo, Petro, Valentino, Renato, Florentino, Hilario, Paulo, Bacauda, Innocentio, Andrea, Gaudioſo, Philippo, Creſcentione, Libertino, Ianuario, Sebaſtiano;

Cyriaco, Viuulo, Dulcitio, Ioanne, Pullione, Andrea, Bono, Laurentio, Seleuco, Ruſtico, Cæleſtino, Barbaro, Laurentio, & Redempto presbyteris: adſtantibus quoq; Tribuno, Agapito, Donato & Probo diaconibus; Tribunus archidiaconus dixit: Theodoſius Echinienſis ciuitatis epiſcopus prouinciæ Theſſaliæ, ſicut præterita ſeſſione conſtituiſtis, obſeruat: quid iubetis? Boniſatius epiſcopus eccleſiæ catholicæ vrbis Romæ dixit: Veniat. Cum ingreſſus fuiſſet, Boniſatius epiſcopus dixit: Ingreſſus quid deſiderat proſequatur. Theodoſius Echinienſis ciuitatis epiſcopus prouinciæ Theſſaliæ per interpretem dixit: Elpidius, Stephanus, & Timotheus venerabiles epiſcopi fratres mei Theſſaliæ prouinciæ, per me offerendas ſacræ beatitudini veſtræ

preces destinasse noscuntur ; eas quoque me offerente vobis recitari præcipite . Bonifatius episcopus dixit: Hæc etiam chartula notarii recitatione pandatur . Cumque susceptа fuisset , Menas notarius recitauit:

DOMINO NOSTRO SANCTO ET BEATISsimo, & reuera venerando patri patrum & archiepiscopo , Bonifatio Patriarchæ , Elpidius , Stephanus & Timotheus exigui episcopi.

NECESSITATES quæ nos constringebant olim vestra cognouit beatitudo , & paruum componentes libellum , sanctissime Pater , dudum mala quæ pertulimus , & sæuiora quæ expectamus declarantes significauimus ; & quia voluntati atque minis eorum qui aduersus nos ista moliuntur seruientes vnum habent studium , vt

Stephanus Dei amator episcopali priuetur officio. Sed adhuc eo loquente alter nuntius deteriora significans venit. Factis enim prioribus, audientes sanctissimus regiæ Vrbis ecclesiæ præsul, & quæ cum eo fuerat sancta synodus, in pristina voluntate persistentes, eripuerunt a nobis Stephanum Dei amatorem pastorem nostrorum & sanctæ Lariſſææ ecclesiæ, quæ est metropolitana ciuitas prouinciæ Thessaliæ; condemnationis sententiam componentes sicut eis complacuit, adiecerunt: non licere eum ad Thessaliam proficisci prouinciam. Sed prædictus Dei amator vir sæpius inter acta contestatus est sanctissimum regiæ Vrbis præsulem, & synodum quæ cum eo conuenerat, quia non liceret eos istam audientiam adsumere, & quam maxime aliquid de-

decernere; sed Apostolicæ sedis id conuenire beatitudini. Illi autem contẽnentes eius contestationem, & quam maxime inde amplius incitati, immisericordem sententiam protulerunt. Illum quidem sic putauerunt a sancta nostra ecclesia remouendum; ius autem in nostra prouincia sibi facere præparabant: vt exemplo isto nemo audeat de sanctarum ecclesiarum nostrarum iure quidquam dicere, nec memoriam facere antiquitatis, vel eorum quæ vsq; hactenus tenuerunt. Quia studij eorum est, vt sub ordinationem & ius sanctæ Regiæ ciuitatis ecclesiæ nos miseros efficiant. Pro quibus omnibus lugentes die ac noctu omniũ saluatori Iesũ Christo Deo nostro lacrimas fundimus, & miseram nostram prætendimus canitiem, supplicantes

ne nos in manibus eorum tradi patiamini. Pro his enim & vestram appellamus beatitudinem & Apostolicam sedem; & per eam ter beatum Petrum, atq; sanctæ Ecclesiæ primum pastorem Christum dominum nostrum audire & adorare credimus: sperantes, vt miserorum hominum petitionẽ, quam cum anima tribulatione atq; doloribus plena porreximus, minime despiciatis: sed ista congrua emendatione corrigentes, rebus istis succurrentes, remedium dare dignemini: quia *defecit spiritus noster*, sicut in psalmis dictum est ab eo, qui in angustia animi supplicabat: quatenus Dei amator vir, qui sedis Apostolicæ ius custodire contendens tanta visus est pericula sustinere, Apostolica auctoritate suo restituatur officio. prospicientes in futurum, vt con-

Psal. 142.

ſuetudo ſanctarum eccleſiarum, noſtræ prouinciæ nullatenus conuellatur. Quia ſi non Dei miſericordia & veſtra iuuamina nos præuenerint, tertius aut quartus nuntius ſimilia deportans veniet. quia non vſq; ad Stephanum Dei amatorem eorum conquieſcit intentio: ſed & alijs plurimis iſta facient, & non ante quieſcent, quam vt ad effectum deſideria ſua perducant. *Et alia manu*. Elpidius exiguus epiſcopus ſanctæ Thebanæ eccleſiæ ſupplicans per Ioannem presbyterum meũ, quia præ dolore manus meæ ſubſcribere non potui, me iubente ſubſcripſit. Timotheus exiguus epiſcopus ſanctæ Dicæſarienſis eccleſiæ ſupplicans ſubſcripſi. Patritius exiguus presbyter ſanctæ Dei Laminanenſis eccleſiæ ad Regiam Vrbem veniens pro perſona Stę-

phani ſancti epiſcopi meiipſo iubente ſupplicans ſubſcripſi.
BONIFATIVS EPISCOPVS dixit: Quæ lecta ſunt tranſcribantur. & adiecit: Si quid eſt aliud ſuggeratur. Theodoſius Echinienſis ciuitatis epiſcopus Theſſaliæ prouinciæ per interpretem dixit: Ex relectione libellorum veſtra cognouit beatitudo quæ acta ſunt contra ſanctos canones, & ordinationem deceſſorum veſtrorum. Nam cõſtat venerandos ſedis veſtræ Pontifices, quamuis in toto mundo ſedes Apoſtolica eccleſiarum ſibi iure vindicet principatum, & ſolam eccleſiaſticis cauſis vndiq; appellare neceſſe ſit; ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici eccleſias vindicaſſe. Et nota ſunt vobis omnium præcedentium ſcripta Pontificum; veruntamen quarundam epiſtolarum

exemplaria profero, quarum fidem fieri ex vestro nunc scrinio postulo.

BONIFATIVS EPISCOPVS dixit: Prolatæ epistolæ recitentur,& scriptorum fides in sedis Apostolicæ requiratur scrinio. Cumque susceptæ fuissent exemplaria literarum, Menas notarius recitauit.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS I.
Acholio, Eurydico, Seuero,
Vranio, Philippo, & Ioanni
DAMASVS.

DECVRSIS literis dilectionis vestræ, fratres carissimi, satis sum contristatus,eo tempore quo Deo præstante hæretici iuerant abiecti,nescio quos ex Ægypto venientes in postulatione contra regulá ecclesiasticæ disciplinæ alienum a nostra professione in Constantinopolitana ciuitate Cynicũ

ad ſacerdotium vocare voluiſſe? Qui igitur is fuerit ardor animi, quam fæda præſumptio, ſcire non poſſumus. Hinc apparet inquietos homines, cum multa præſumunt, quid agere debeant ignorare. Non legerant Apoſtolum
1.Cor.11. ſcribentem: *Vir autem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.* Neſciebant philoſophorum habitū non conuenire inceſſui Chriſtiano. Non audierant monentem Apo-
Col.2. ſtolum, ne per philoſophiam & inanem ſeductionem, quam diu crediderant, ſpoliarentur ſanæ fidei indumento. Quanta igitur hæc feſtinatio fuerit neſcio, vt cum Chriſtianis hic habitus diſpliceret, tam inſolenter totum quod non decuerat ageretur. Sed quid aliud facere debuit improbitas hominum leuiſſimorum, quam vt expulſi eccleſia, intra

parietes alienos ambientem, quantum intelligi datur, inquietum hominem ordinarent? Sed hæc inimici intelliguntur esse commenta, qui hæreticis subministrat materiam detrahendi. Impletum est quod euangelicus sermo dixerat: *Omnis*, inquit, *plantatio quam non plantauerit Pater meus celestis, eradicabitur*. Hoc est quod sæpe dilectionem vestram commonui; ne fieret aliquid inconsiderate. Nescit sinceritas vestra, quod in secularibus bellis ibi maior cura militum excubat, vbi hostis insistit? Si ergo nobis episcopalibus armis semper est resistendum, debemus solicite agere, ne quod Deus prohibeat, gregem Christi lupis rapacibus relinquamus. Philosophia sapientiæ secularis amica est, inimica fidei, venenum quoddam spei, bellum

Matt. 15.

2.Cor.6 grauissimum caritatis. Qui ergo consensus templo Dei & idolis? quæ participatio Christo & Belial? Sed fortasse dicturi sunt aliqui; Christianus erat. Huic homini qui in habitu idoli incedit, nunquam adscribendum nomen est Christiani: quia fieri non potest, vt qui hinc placere gentibus desiderat, vllum nobiscum consortium integræ fidei possit habere. Non immerito autem qui ex Ægypto venerant, notati ab omnibus discesserunt, errorem suum condemnantes, vt amputatis eius postea capillis qui non recte fuerat ordinatus, & iacturam capitis sustineret, & quod ambierat esse non possit. Recte igitur factum est, vt id quod male cœptum erat, auctoritate publica destrueretur. De cetero commoneo sanctitatem vestram, vt quia

cognoui dispositum esse Constantinopoli concilium fieri debere, sinceritas vestra det operam, quēadmodum prædictæ ciuitatis episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionē: vt Deo propitio cum integra pax catholicorum sacerdotum fuerit confirmata, nullæ deinceps dissensiones in ecclesia oriantur: vt præstante Deo quod iamdudum optauimus, cum catholicis sacerdotibus possit pax perpetua perdurare. Illud præterea commoneo dilectionem vestram, ne patiamini aliquem contra statuta maiorum nostrorum de ciuitate alia ad aliā transduci, & deserere plebem sibi cōmissam, & ad alium populum per ambitionem transire. Tunc enim contentiones oriuntur; tunc schismata grauiora occipiunt, cum & illi qui amiserint sacerdotem

sine dolore animi esse non possunt; & illi qui alterius ciuitatis acceperint episcopũ, etiamsi gaudeant, inuidiosum sibi intelligunt fore, sub alieno se agere sacerdote. Item recitata est.

II. DILECTISSIMO FRATRI Acholio DAMASVS.

AD meritum filij mei Rusticij addi aliquid amplius non potest, Domine frater honorabilis. Hic enim cum habeat prærogatiuam officij sui, quod Silentiarius sit filij nostri Gratiani Augusti; huc accedit quod gratiam Dei Romæ consecutus est; ita vt vellet munitus ad illas partes missus venire. Hunc ergo in omnibus honorificentiæ tuæ commodo quasi propriũ pignus suscipere digneris: vt Deo propitio in peregrinatione constitutus intellegat se a con-

sacerdotibus Dei & diligi & honorari. Ad literas sanctitatis tuæ plene rescripsi, non mihi placuisse, quod nescio quem Maximum ex Ægypto venientes comatum vel maxime, cuius habitus, iuxta Apostolum, ignominiosus esset, Constantinopoli episcopum ordinare voluissent. Rectius igitur fecerit sanctitas tua, si dederit operam, vt de cetero catholicus constituatur; cum quo nobis Deo propitio possit pax perpetua perdurare. Itē recitata est.

DILECTISSIMO FRATRI Anysio SIRICIVS. III.

ETIAM dudum, frater carissime, per Candidianum episcopum, qui nos præcessit ad Dominum, huiusmodi literas dederamus, vt nulla licentia esset sine consensu tuo in Illyrico episcopos

ordinare præſumere: quæ vtrum ad te peruenerint, ſcire non potui. Multa enim geſta ſunt illic per cõtentionem ab epiſcopis in ordinationibus faciendis, quod tua melius caritas nouit. & ideo ſolicite agere te oportet, ne vt factum eſt certatim in vna eccleſia, dum ordinare præſumunt indignos, veluti tres epiſcopos feciſſe videantur. Ad omnem enim huiuſmodi audaciam comprimendam vigilare debet inſtantia tua, Spiritu in te ſancto feruente: vt vel ipſe ſi potes, vel quos iudicaueris epiſcopos idoneos cum literis dirigas dato conſenſu, qui poſſit in eius locum qui defunctus vel depoſitus fuerit, catholicum Epiſcopum, & vita & moribus probatum, ſecundum Nicenæ ſynodi ſtatuta, vel eccleſiæ Romanæ clericum de clero meritum ordinare.

Item recitata est.

DILECTISSIMO FRATRI Anysio INNOCENTIVS. IV.

CVM Deus noster Christus sanctæ memoriæ virum Anastasium Episcopum, licet celeriter, ad se vocare dignatus sit; computans eius merita tanta esse ac talia, vt iam excederent conuersationis humanæ consortium seculumq; illud, præ vitæ puritate & abundantia doctrinæ, qua populum Dei toto ecclesiasticæ auctoritatis rigore regebat: ne eius Ecclesia aliquantulum sine rectoris gubernaculo remaneret, statim pro sua misericordia consentientibus sanctis sacerdotibus omniq; clero ac populo cum pace, quam Deus ecclesiæ suæ rediens ad celum donare dignatus est, ordinatum me in eius locum, frater carissime,

par fuit recognoſcere; primitiaſq; meas non niſi viro optimo, atq; in Deo ſemper fideliter laboranti, celeriter nuntiare. Cui etiam anteriores tanti ac tales viri prædeceſſores mei Epiſcopi, id eſt ſanctæ memoriæ Damaſus, Siricius, atque ſupra memoratus vir ita detulerunt, vt omnia quæ in illis partibus gererentur ſanctitati tuæ, quæ plena iuſticiæ eſt, traderent cognoſcenda, meam quoq; paruitatem hoc tenere iudicium, eandemq; habere voluntatem te decet recognoſcere. Neq; enim fas erat, vt aut ego contra tantorum bonorum virorum iudicium venire tentarem, quorum in locum ſucceſſiſſe dinoſcor; aut tuo merito, cui præclari viri tantam gratiam auctoritatis huiuſce contuliſſe videntur, aliquid derogari videretur. Præ me itaq; fero, vt hoc

ipsum etiam meæ paruitati reseruatum recognoscam, vt pari iudicio similiq; forma & bonis adæque & tuæ caritati id tribuam, quod mereris.

Item recitata est.

DILECTISSIMO FRATRI Rufo INNOCENTIVS. V.

LECTISSIMO & glorioſiſſimo Moyſi ita in Iſraël liberando regendoq; Dominus cuncta commiſit, vt conſilium ſoceri Iothor ſequendum ei manifeſta ſub relatione mandaret: videlicet, vt conſtitueret viros gradu dignitatis iudiciariæ ſuppares, qui cauſarum multitudines pro loco ſibi credito inter populos definirent, ipſo maxime vel etiam diuinis conſolationibus vacaturo. Nec aliter Apoſtolorum forma promulgata eſt, quam vt ipſi principes Euan- Exod. 18. Act. 6.

gelij constituti ceterarum rerum causas necessitudinesq; suis discipulis curandas obeundasq; mandarent. Ita deniq; tota miseratione mirabilis Paulus Tito quæ cu-
Tit.1. 1.Tim.1. ret apud Cretam, Timotheo quæ per Asiam disponat commisit, vt sacrarum epistolarum lectione cognoscimus. Diuinitus ergo hæc procurrens gratia ita longis interuallis disterminatis à me Ecclesijs discat consulendum, vt prudentiæ grauitatique tuæ committendam curam causasque si quæ exoriantur per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri nouæ, & Cretæ, Daciæ Mediterraneæ, Daciæ Ripensis, Moesiæ, Dardaniæ & Præuali Ecclesias Christo Domino annuente censeam. Vere enim eius sacratissimis monitis lectissimæ sinceritatis tuæ prouidentiæ ac virtuti hanc in-

iun-

iungimus ſolicitudinem : non primitus hæc ita ſtatuentes, ſed præceſſores noſtros Apoſtolicos imitati ; qui beatiſſimis Acholio & Anyſio iniungi pro eorum meritis iſta voluerunt. Iuſtiſſimum eſt enim ita benemeritos honoribus decorari, vt arrogantes neceſſarium videtur obtundi. Placet ergo in bonis præmium, & in minus bonis cenſio: ſic enim & iſte corrigitur, & ille nobilitatur. Arripe itaque, dilectiſſime frater, noſtra vice per ſupraſcriptas Eccleſias, ſaluo earum primatu, curam ; & inter ipſos primates primus, quicquid eos ad nos neceſſe fuerit mittere, non ſine tuo poſtulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quicquid illud eſt finietur; aut tuo conſilio ad nos vſque perueniendum eſſe mandamus. Licitum

autem & Apoſtolicæ ſedis fauore permiſſum tuæ fraternitati cognoſce, vt cum aliqua eccleſiaſtica ratio vel in tua vel in memoratis prouincijs agitanda cognoſcendaque fuerit, quos velis epiſcoporum ſocios quibuſcunque de eccleſijs aſſumas tecum, quorum & fide & moderatione quicquid neceſſitas cauſaue flagitauerit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe a nobis lectus, definias interceſſor. Omnem ſane inſtructionem chartarum in cauſa archiuorum cum presbytero Senecione, viro admodum maturo, fieri iuſſimus. Itaque & ex priore noſtra epiſtola, & ex his chartulis bene recenſens quid agere debeas recognoſce. Nam voluntatem hanc noſtram per vnamquamque prouinciam ſatis vt decebat literis manifeſtauimus. Data XV Kal. Iul.

Honorio IX, Theodosio V. AA. Coss. Item recitata est.

DILECTISSIMO FRATRI Rufo BONIFATIVS. VI.

BEATVS Apostolus Petrus, cui arx sacerdotij dominica voce concessa est, in immensum gratulationis extollitur, quotiens peruidet, concessi sibi honoris a Domino intemeratæ se pacis filios habere custodes. Quid enim gaudio debeat maiore pensare, quam quod agnoscit acceptæ potestatis inlæsa iura seruari? Vere namq; immobile requirit a diuersis destinata super negotijs quibusque consultatio fundamentum, quæ eius consulit sedis arcanum, quam constat dignatione petræ spiritalis elatam. Frequentia igitur, vt scrinij nostri monumenta declarant,

ad caritatem tuam ex eius fonte scripta manarunt, quibus solicitudinem ecclesiarum per Macedoniam & Achaiam sitarum fraternitati tuæ, quam scimus ecclesiasticam disciplinam canonũ notione seruare, certum est esse commissam. Nec immerito id ducimus factum. Hanc enim gratiam dilectioni tuæ Apostolica sedes officio diligentis impertit. Vnde fit vt sanctitatem tuam gnaram faciamus huiusce negotij, quod ex ea prouincia auribus nostris ingeritur destinatũ, cuius prudentiæ tuæ dudum cura mandata est. Corinthij enim olim beati Pauli prædicatione laudati, quorum preces subdendas magis credidimus esse quam narrandas, Perigenem, sicut iamdudum a sancta synodo super eius nomine pagina directa testatur, sanctum

& instituti optimi qualitate pollentem, ciuitatis suæ non tam accipere, quam retinere desiderant sacerdotem. Cuius ordinationis seriem si integro ordine exponendam putauero, fiet necesse est eius laudis augmentum; & huic nimirum proficiet, si faciamus vel ordinantis vel ordinati recto tramite mentionem. Quis enim dubitet eius meritis deputari? quis renuit iudicij fuisse diuini, ideo hunc a Patrensibus in tempore non esse susceptum, & diu super præmissa Ecclesia magna deliberatione suspensum, vt huius ouilis pastor fieret, in cuius caulis suam a cunabulis transegisset ætatem? Iudicia Dei abyssus multa; quod congrue aptamus exemplum: & nemo crederet, quod in ordinatoris aliquando locum subrogari posset, quia fuerat ab Psal. 35.

alijs ordinatus. Non ambigo cæleſtis tunc iſtud fuiſſe ſententiæ, qua vel conſenſu qui illic auctoritatem ſedis Apoſtolicæ præſentabant, eum in noſtrorum numerum recipimus: & in eos neceſſe eſt vigorem cenſuræ, qui contra noſtrum factum poſt hæc neſcientibus noſtris incitare dicuntur populos, ſi perſtiterint, exeramus. Quod quidem & dilectionem tuam in eos ex noſtra præceptione facere volumus; vt eorum licentiam, quibus nihil tale commiſimus, refrenemus. Item recitata eſt.

VII. DILECTISSIMO FRATRI Rufo BONIFATIVS.

CREDEBAMVS poſt epiſtolas noſtras pro eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruatione tranſmiſſas, omnibus aditum præſumtionibus

præcludendum, cum ad consultationem dilectionis tuæ præbuissemus debitum pro causarum æstimatione responsum; constituentes ea debere seruari, quæ ecclesiastica exigit disciplina. Sed quantum nunc tuæ sanctitatis nobis relatio patefecit, apud plerosq; valuisse quod scripsimus, apud quosdam autem admonitionem nostrá inefficacem cognouimus fuisse. Nec hoc fraternitati tuæ possumus imputare, cum te anxium pro commissa tibi ecclesiarum solicitudine & rebus & literis sentiamus. Vigilantiæ tuæ laudamus industriam; qui ne videaris tibi commissa negligere, id non prætermittis literis indicare, quod sedis Apostolicæ debeat censura corrigere: hunc te Dei nostri habere professus timorem, quem prudentissimo inesse con-

uenit sacerdoti; qui tunc tibi esse poterit glorioſus, ſi ea quæ curæ tuæ commiſſa ſunt prodeſſe eccleſijs fuerimus experti. Intuetur enim te, vt epiſtolis tuis ipſe fideliter es locutus, beatiſſimus Petrus Apoſtolus oculis ſuis, qualiter ſummi rectoris vtaris officio. Nec poteſt tibi esse non proximus, qui paſtor dominicarum ouium eſt perpetuus conſtitutus; aut aliquã vbiuis poſitam eccleſiam non curare, in quo vniuerſalis Eccleſiæ poſitum legimus fundamentum. Te ergo, frater cariſſime, omnis cura reſpectat earum eccleſiarum, quas tibi vice ſedis Apoſtolicæ a nobis creditas recognoſces: vt & praua corrigas, & diſſipata componas; & ſi quæ inter epiſcopos eueniant cauſæ, ſub diuini iudicij timore diſtinguas: vt creditis tibi a ſede Apoſtolica gubernaculis

contra omnes fluctus nascentium procellarum iuste & prudenter vtaris. In notitiam singulorum, ad quos ante iam scripsimus quem deberent tramitem custodire, nostras te epistolas pertulisse dixisti: quibus debitum se commodare consensum plurimi sacerdotum sacrarum traditionum memores sunt professi. quos fraterna caritate complexi tales esse cognoscimus coëpiscopum nostrum Adelfium, vel fratrem Perigenem; cui beati sermo concilij iamdudum adstipulator accessit, ad episcopatus speculam iam vocabat Dei inquam sententia; cuius beneficia sæpe credimus esse contraria; & in aduersum vertimus, quæ post recognoscimus profuisse. Quam rem confirmat negotij præsentis exemplum. Tristis absque dubio coëpiscopus noster Perigenes fuit,

cum eum nemo ſuſciperet ordinatum. Nonne huic hoc expediens erat, vt hunc ciuitate ſua Patrenſes populi vnitæ voce contradictionis arcerent? Sed quanto inclinatus fuit, cum eum ordinatum nemo ſuſcepit, tanto ſublimior nunc eſt, cum a ſuis poſcitur, qui ab externis fuerat refutatus. Euidens enim Dei manifeſtumq; iudicium, qui eum id temporis voluit præſtolari, quo mereretur huic eccleſiæ præſidere, in qua & natus adſcritur & renatus. Frater cariſſime, quoniam prudentiæ tuæ iniunctorum vel delegatorum pondus incumbit, petitionis ſupplicum vel diligentiæ tuæ electæ iamdudum vel vicinitatis ratione perſpectat. Quam quidem petitionem non abſque admiratione perlegimus, propterea quod tuis epiſtolis priuaretur.

Omnibus eo quem res exigunt ordine celebratis, aliqua ad nos scripta transmittas. Nolumus enim coëpiscopo Perigeni nostram paginam destinare, priusquam tuas accipiamus epistolas, cuius ordinationi videntur omnia delegata. Accelerabis id agere propter desiderium postulantium. Melius enim nosse dignaris, eos in hanc precem sola vt arbitror erga religionem deuotione feruere: maxime cum irreprehensibiliter eũ asserant per annos innumeros in presbyterij honore durasse, & non indebito saltu, sed ad summum gradatim venisse fastigium. Cui ad plenitudinem confirmationis episcopatus sui hoc solum residet, quod nostros in honore suo necdum suscepit affatus. Intelligere autem tuam non ambigo caritatem hoc non absque ammira-

tione, quod & huic videmur noſtram paginam non miſiſſe, & ſupplicibus præbuiſſe reſponſum. actum a nobis eſt, vt & Apoſtolicæ ſedis auctoritas, & dilectionis tuæ honorificentia ſeruaretur. Data XIII Kál. Octobres, Monaxio V.C. CONS. Item recitata eſt.

VIII. DILECTISSIMO FRATRI Rufo BONIFATIVS.

RETRO maioribus tuis ſuper prouincijs Apoſtolicæ ſedis iniunctum diligenter a tua caritate debet impleri. Cauſæ etenim Eccleſiarum per eas prouincias poſitarum peruigili ſunt circumſpectione curandæ. Ita quippe vice ſua beatus Apoſtolus Petrus eccleſiæ Theſſalonicenſi cuncta commiſit, vt intelligat ſe ſolicitudinem manere multorum: quam

minorem facere noua, quæ vires habere non possunt, tentamenta non debent. Non est enim eorum cedendum studijs, quos nouitas rerum, & indebitæ desiderium dignitatis accendit: sed elaborandum est, & Deo nostro fauorem præstante certandum, vt quisquis contra licitum nititur, sibi per omnia recognoscat occursum. Quapropter, frater carissime, fretus iamdudum a te auctoritate susceptа, contra inimicas turmas idoneus Dei nostri miles armare. Nihil hic timebis dubij, nihil incerti formidabis euentus. Habes beatum Apostolum Petrum, qui ante te pro sua possit vi repugnare. Nolo perturbatione maris conciti terrearis. Fidem quippe quam in arcano tui pectoris portas, omnibus rebus certum est esse maio-

rem. In nullo te turbo, in nullo penitus procella vexabit. Non patitur ille sedis suæ perire priuilegium te laborante piscator. Omnis tumor fluctuum, omnis procella cessabit, eo fauente nisibus tuis, cui soli mare peruium fuit. Aderit nimirum, & violatores canonum atq; ecclesiastici iuris inimicos Deo auctore compescet, qui talium mentium semper vota frustratur. In ceteros etiam contumaces ius concessæ potestatis exerce. Nullum etenim locum vides a nobis otiosum relictum. Ad Thessalos comminationis & correptionis plenas literas misimus. Ad synodum quæ dicitur illicite congreganda de causa fratris nostri & coepiscopi Perigenis, cuius scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus vniuersi fra-

tres intelligant, primo conuenire se citra tuam conscientiam minime debuisse: deinde, de nostro non esse iudicio retractandum. Nunquá etenim licuit de eo rursus quod semel statutum est ab Apostolica sede, tractari. In qua pagina nostra vt condecuit honorem debitum tuæ seruauimus sanctitati, sicut eius caritas tua lectione cognoscet. Perreuij autem coëpiscopi nostri negotium, cuius nobis libellus ab eodem destinatus fecit indicium, cui consacerdotes sui molesti nimis esse dicuntur, ita vt eum ecclesia sua crederent esse pellendum, diligenter audire tuam volumus caritatem; conuentis supradictis coëpiscopis nostris, quorum se vim sustinere deplorat. Tunc demum, vt intelligant si quid a se factum est contra consuetudinem prius

esse cassandum, omnibus vestigatis ad nos tua caritas referre maturet, quatenus probatum a tua fraternitate iudicium sententia nostra valeat roborari. Sane in epistola Thessalis fratribus destinata id a nobis scriptum volumus recognoscas, Pausianum, Cyriacum atq; Calliopum a nostra cómunione penitus summouendos: ita vt remedium solum interuentionis tuæ gratiam se habere cognoscant. Maximum autem, quem male tua caritas retulit ordinatum, in totum sacerdotij censemus honore priuandum. Tuæ caritatis est Seuerum Apostolicæ sedis notarium, animis acceptissimum nostris, de nostro proprio latere destinatum, peractis omnibus tota celeritate dimittere, vt gestarum ordinem rerum eodem festinius reuertente

no-

noſcamus. Datæ V Idus Martias, Honorio XIII, & Theodoſio X Auguſtis Coss. Item recitata eſt.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS vniuerſis Epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis BONIFATIVS. IX.

INSTITVTIO vniuerſalis naſcentis Eccleſiæ de beati Petri ſumpſit honore principium, in quo regimen eius & ſumma conſiſtit. Ex eius enim eccleſiaſtica diſciplina per omnes eccleſias religionis iam creſcente cultura, fonte manauit. Nicænæ ſynodi non aliud præcepta teſtantur, adeo vt non aliquid ſuper eum auſa ſit conſtituere, cum videret nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri: omnia deniq; huic nouerat Domini ſermone conceſſa. Hanc ergo eccleſijs toto orbe diffuſis ve- Nicol. 1. ep. 8. Idem ep. 42.

lut caput ſuorum certum eſt eſſe membrorum: a qua ſe quiſquis abſcidit, fit Chriſtianæ religionis extorris, cum in eadem non cœperit eſſe compage. Audio epiſcoporum quoſdam Apoſtolico iure contempto nouum quippiá contra Chriſti proprie præcepta tentare, cum ſe ab Apoſtolicæ ſedis communione, & vt dicam verius poteſtate ſeparare nituntur; eorum petentes auxilium, quos eccleſiaſticarum ſanctio regularum maioris eſſe non dedit poteſtatis. Leguntur etenim præcepta maiorum; & quibus in eccleſias iuris aliquid dederint inuenimus. Iam temerator eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ quiſquis in eius leges, cum ſibi nihil debeatur, inrepit; ea ſibimet vindicando, quæ ſibi a patribus negata videantur. Accipite ergo admoni-

tionem & correptionem noſtram, ex quibus vnam pontificibus, alteram diffidentibus exhibemus. Nam ideo ait Apoſtolus: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate, & in ſpiritu mansuetudinis?* Scitis enim beato Petro vtrumq; poſſibile, ideſt, in manſuetudine mites, in virga ſuperbos arguere. Ergo ſeruate honorem debitum capiti: quia nolumus vt intra ſe membra decertent, ita vt tendatur eorum ad nos vſq; certamen: dum fratrem & coëpiſcopum noſtrum Rufum dignum ducitis contemtu; cui nihil nouum auctoritas noſtra concedit, ſequens priorum gratiam, qua huic curæ eccleſiarum ſæpe videtur iniuncta. Quod factum ita intemeratum ſeruari volumus in futurum, ſicut a patribus huius diſpoſitionis forma ſeruata eſt. 1.Cor.4.

Non decet fratres alterius dignitate morderi. Certe si in quoquam eius supra debitum fuit visa correptio; quoniam ideo tenet sedes Apostolica principatum, vt querelas omnium licentes acceptet; interpellari nos super hoc missa legatione conuenerat, quos curam omnium rerum manere videatis. Cesset nouella præsumtio. Nemo audeat sperare quod non licet. Nullus ea quæ sunt a patribus gesta,& per tantum temporum custodita, reuerare contendat. Ordinationi nostræ pareat, quisquis se episcopum recognoscit. Episcopos per Illyricum citra conscientiam coëpiscopi nostri Rufi nullus ordinare præsumat. *Et cetera.* Data V Idus Martias,Honorio XIII & Theodosio X AA. Coss.

Item recitatum est.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS X.
Rufo, & ceteris Episcopis per Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum nouam, Prævalin, & Daciam constitutis

BONIFATIVS.

MANET beatum Apostolum Petrum per sententiam dominicam vniuersalis Ecclesiæ ab hoc solicitudo susceptа: quippe quam Euangelio teste in se nouerit esse fundatam: nec vnquam eius honor vacuus potest esse curarum; cum certum sit summam rerum ex eius deliberatione pendere. Quæ res animum meum vsq; ad Orientis loca, quæ per ipsam solicitudinem quodammodo videmus, extendunt. Indesinenter enim ab vnoquoq; illinc veniente percontor de pace fratrum; id est, de quiete Pontificum, quæ

solet quotiens diabolus huic inuidet, alicuius præsumtione turbari. Cum igitur ad nos ordine suo cuncta seruari fama nunc vsq; detulerit, vehementer mirati sumus eius rei stupentes, vt poscebat ratio relatorum, quam iniuriam Plurium intentio nouella tentauit. Certo enim cognouimus indice, apud Corinthum, quod exagitati dicimus, synodum congregandam, super eius discutiendo statu, quem Corinthijs Apostolica sedes examinatis omnibus atque discussis constituit sacerdotem: secuta Dei voluntatem, quæ hunc ipsum, quantum docetur dilationibus temporum, eius ouilis in quo creuerat, & cui creuerat, voluit esse pastorem. Cuius ordinationis si vestra esset caritas ignara, libenter ab origine sua quæ sunt in præterito de eo gesta

retexerem; vt his quorum aſpectus negotij eius non per ignorantiam, ſed per ſtudium inuoluit obſcurum, manifeſtatione clareret, ſententiam de eo ſpecialiter fuiſſe diuinam; qua, vt diximus, eccleſiæ Corinthiorum velut alumnum ſuum iudicium cęleſte ſeruauit. Quam rem omnium ciuium & clericorum a nobis oppido poſtulauit adſenſus. Nec tamen id abrupte præceptio noſtra conſtituit; ſed vt eccleſiaſtica diſciplina poſcebat, diligentius fratrem & coëpiſcopum noſtrum Rufum negotij iuſſimus interiora rimari, & petitionis ſummam ſua de proximo moderatione penſare; vt nihil immaturum ab hac ſede fieri videretur, quæ aliorum præſumtiones ſæpe compreſſit. Ad nos poſt aliquanti temporis ſpatium ſuper hoc præ-

dicti Episcopi nostri quæ præmissis desiderijs conuenirent, scripta venerunt: quorum euidentissimam rationem secuti, dedimus hunc Ecclesiæ illius esse pontificem, in qua per singulos honorum gradus præteritam quoque transegisset ætatem. Quam ad rem faciendam memorato Episcopo mea directa secunda protinus, quæ presbyterio vniuerso complacuit, auctoritatem mandaui: retro maiores secutus, qui Ecclesiam Thessalonicensem sibi semper familiarem, & in collegij caritate famulantem, dignam, sicut fides adserit scriniorum, hoc honore duxerunt. Quem fratri Rufo Apostolicæ etiam imposterum gratia sedis indulget; sequax Domini, qui exaltat humiliatos, & humiliat semper elatos; dum illis gratiam tribuit, his resistit. Quan-

tum est ergo humilitatis munus, quod gratiæ diuinæ lance pensatur? & quanta est pœna superbiæ, cui proprie totius mundi Dominus & rector obsistit? Melius autem fraternitati vestræ intelligendum relinquo, quis humilitatis, & quis superbiæ sit magister. Sed absit hoc a Domini sacerdotibus, vt in hunc aliquis eorum cadat reatum, vt noua quidpiam vsurpatione tentando inimica sibi faciat scita maiorum: æmulum se illum specialiter habere cognoscens, apud quem Christus noster sacerdotij summam locauit. In cuius contumeliam quisquis insurgit, habitator celestium non poterit esse regnorum. *Tibi*, inquit, *dabo claues regni cælorum*: in quæ nullus sine gratia ianitoris intrabit. *Tu es*, inquit, *Petrus*, *& super hanc* Mat. 16.

petram ædificabo Ecclesiam meam. Quicunq; igitur cupit etiam ante Deum nostrum sacerdotij dignitate censeri, quoniam ad Deum Petro suscipiente peruenitur, in quo Ecclesiam, sicut supra memorauimus, vniuersalem certum est esse fundatam, debet esse mitis & humilis corde: ne incipiat discipulus contumax illius, cuius superbiam imitatus est, pœnam subire doctoris. Congregatur ergo, vt redeamus ad causam huius iniuriæ, synodus cuius dilecto consultum semper superhabens concilij recognoscat arcanum: & fiet, quod quidem fieri per regulas omnino non poterit, fratris & coëpiscopi nostri Perigenis honor dubius & incertus, quem in sede Ecclesiæ supradictæ nostra sententia conlocauit. Quis ergo hunc rudis & peregre fortasse

nunc demum rediens accusator incessit? Quis certe antistitum, vt fratrum conueniret turba præcepit, lectis epistolis nostris? Quoniam locus exigit, si placet recensete canonum sanctiones; reperietis quæ sit post Ecclesiam Romanam secunda sedes, quæue sit tertia. A quibus ideo ita rerum videtur ordo destructus, vt se ecclesiarum pontifices ceterarum sub vno tamen eodemque sacerdotio habere cognoscant, quibus caritate seruata propter ecclesiasticam disciplinam debeant esse subiecti. Et quidem hæc sententia canonum a vetustate durauit, & nunc vsque Christo nostro fauente perdurat. Nemo vnquam Apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus obuias audacter intulit. nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se

Nicol. I. ep. 8.

voluit iudicari. Seruant eccleſiæ magnæ prædictæ per canones dignitates, Alexandrina & Antiochena, habentes eccleſiaſtici iuris notitiam. Seruant, inquam, ſtatuta maiorum in omnibus deferentes, & eius viciſſitudinem recipientes gratiæ, quam ſe in Domino, qui pax noſtra eſt, nobis debere cognoſcunt. Sed quia res poſtulat approbandum documentis eſt, maximas Orientalium Eccleſias in magnis negotijs, in quibus opus eſſet diſceptatione maiore, ſedem ſemper conſuluiſſe Romanam, & quotiens vſus exegit eius auxilium poſtulaſſe. Sanctæ memoriæ Athanaſius & Petrus Alexandrinæ ſacerdotes eccleſiæ, huius ſedis auxilium poſtularunt. Cum Antiochena eccleſia per multum temporis laboraret, ita vt fierent illinc pro-

pter hoc ipſum ſæpe diſcurſus, primo ſub Meletio, poſtea ſub Flauiano, Apoſtolicam ſedem manifeſtum eſt eſſe conſultam. ad cuius auctoritatem poſt multa quæ ab Eccleſia noſtra geſta ſunt, nemini dubium eſt Flauianum communionis gratiam recepiſſe; qua in perpetuum caruerat, niſi hinc ſuper hoc ſcripta manaſſent. Clementiſſimæ recordationis princeps Theodoſius Nectarij ordinationem, propterea quia in noſtra notione non eſſet, habere non exiſtimans firmitatem, miſſis e latere ſuo aulicis cum epiſcopis, formatam huic a ſede Romana dirigi regulariter depoſcit, quæ eius ſacerdotium roboraret. Ante breue tempus, id eſt, ſub prædeceſſore meo beatæ recordationis Innocentio, Orientalium eccleſiarum pontifices do-

lentes se a beati Petri communione seiunctos, per legatos pacem, sicut caritas vestra retinet, poposcerunt. Quo tempore Apostolica sedes omnia non difficulter indulsit: illi parens magistro, qui

2.Cor.2. ait: *Si cui autem aliquid donastis, & ego. nam & ego si quid donaui propter vos in persona Christi: vt non*

Nicol.1. ep.42. *possideamur a Satana. non enim ignoramus versutias eius*; id est, quia semper dissensione lætatur. Quoniam igitur ad probandam veritatem arbitror quæ diximus, fratres carissimi, exempla sufficere, quamuis plura vestri notione teneantur; absq; fraternitatis iniuria conuentui vestro volumus his literis obuiatum; quas a nobis per Seuerum Apostolicæ sedis notarium, animis acceptissimum nostris, e nostro latere destinatum videatis esse directas: conuenien-

tes vt condecet fratres, ne quis volens in noſtra communione durare, fratris & conſacerdotis noſtri Perigenis iterum ad diſcutiendum in medium nomen adducat. cuius ſacerdotium Apoſtolus Petrus ſemel iam Spiritus ſancti ſuggeſtione firmauit; nihil huic relinquens impoſterum quæſtionis, cui dum conſtitueretur a nobis, per eius temporis ſpatium quo vacauit, nihil omnino conſtet obiectum. Ceſſet accuſatio, cuius inuidiam probamus auctorē. Soluatur machina falſitatis in eū compoſitæ, quia ad ſacerdotium Dei noſtri & omnium bonorum fauore peruenit. Sane quoniam ſeruandus accuſatori locus eſt, ne audentiam penitus incitare videamur, ſi quid ab eodem poſtquam epiſcopus noſtris eſt auctoritatibus conſtitutus, contra diſci-

plinam & propoſitum ſacerdotij ſertur admiſſum, coëpiſcopus noſter Rufus, cui ad vicem noſtram cuncta committimus, cum ceteris fratribus quos ipſe delegerit, negotium curabit audire; ad noſtrá relaturus omnia notionem, quæcunq; cognitioni eius rerum curſus & ordo monſtrarit. Illud etiá, quoniam auctoritas noſtra commonitione ſolita vacare non debet, hortamur, & repetito ſæpius ſermone præcipimus, vt in omnibus huic viro obedientiam diſpoſitionibus commodetis. Nullus, vt frequenter diximus, alicuius ordinationem citra eius cõſcientiam celebrare præſumat: cui vt ſupradictum eſt, vice noſtra cuncta committimus. Sibi certe huius præſumtionis auctores imputabunt impoſterum, cum ſe viderint Apoſtolicæ caritatis extor-

torres. Data V Idus Martias, Honorio XIII, & Theodosio X, AA. Coss. Item recitatum est,

EXEMPLAR EPISTOLAE PIISsimi Imperatoris HONORII ad Theodosium Augustum. XI.

OMNIBVS quidem causis in quibus nostrum postulatur auxilium, intercessionem apud aures tuæ clementiæ negare non possumus: sed his maiorem necessario curam studiumque debemus, quibus sanctæ sedis Apostolicæ desideria continentur. Nam cum fauore diuino nostrum semper gubernetur imperium, procul dubio illius Vrbis Ecclesia, speciali nobis cultu veneranda est, ex qua & Romanum principatum accepimus; & principium sacerdotium. Si quidem nihil aliud a pietate nostra postulauerit

missa legatio, nisi quod Catholicæ fidei disciplinæ & æquitati cõcordet. Petit enim vt hæc priuilegia, quæ dudum a patribus constituta vsq; ad tempora nostra seruata sunt, inconcussa perdurent. In qua parte perspicit Serenitas tua, nihil vetustis decretis, si quæ canonum conscripta sint regulis, penitus derogandum; nec tot iam seculorum reuerentiam nouellis præiudicijs sauciandam Domine. Vnde maiestas tua recensitis nostræ pietatis affatibus, Christianitatis memor, quam pectoribus nostris misericordia celestis infundit, vniuersis remotis, quæ diuersorum Episcoporum subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem præcipiat custodiri: ne sub principibus Christianis Romana perdat Ecclesia, quod alijs Imperatori-

bus non amisit. Item recitatum est,

RESCRIPTVM THEODOSII Augusti ad Honorium Augustum. XII.

DIGNVM meretur iudicium, quisquis perennis Principis affatus ad nostram videtur deferre clementiam, Domine, sancte Pater, Auguste venerabilis; tum præcipue Christianæ religionis intuitu, quæ venerandis sensibus maiestatis tuæ ita infusa est, vt per nostra corda latius porrecta seruetur. Deus enim auctor ideo præsules fecit Christianorum principum posteros, vt omni subreptione frustrata, id quod a maioribus nostris constitutum est, reseruetur. Et quanquam non solum in his quæ diuina suffragia incorrupta seruarunt, affatus perennitatis tuæ a nobis obseruentur af-

fectu celeri omnique veneratione ſuſcepta, tum præcipue hæc res; quia ſeculi totiusque regni noſtri ſoſpitatem illius inclitæ Vrbis nomen hactenus ſeruat. Vnde omni ſupplicantium Epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remota ſtatuimus obſeruari, quod priſca Apoſtolica diſciplina & canones veteres eloquuntur. Super qua re ſecundum formam oraculi perennitatis tuæ, ad viros Illuſtres Præfectos Prætorij Illyrici noſtri ſcripta porreximus, vt ceſſantibus Epiſcoporum ſubreptionibus antiquum ordinem ſpecialiter faciant cuſtodiri: ne venerabilis Eccleſia ſanctiſſima Vrbis priuilegia a veteribus conſtituta amittat, quæ perenne nobis ſui nominis conſecrauit imperium.

Item recitata eſt.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS XIII.
Perigeni, Dynato, Basilio, Sapio, Paulo, Aeternali, Sabatio, Iuliano, & Senecioni Episcopis per Illyricum
CAELESTINVS.

INTER ceteras curas & diuersa negotia, quæ ad nos ex cunctis veniunt semper ecclesijs, propensiorem nos etiam vestri solicitudinem gerere, & ex decretorum nostrorum sanctione discetis, & ipsarum qualitate causarum poteritis aduertere. Nunc tamen Dyrracenæ prouinciæ causa nos monuit; vbi quorundam accusantium factione frater & coëpiscopus noster Felix, si non nostra interuenisset diligentia, fuisset oppressus. Nec noua hæc sedi Apostolicæ cura de vobis est. statutum nostris sæpius experimẽtum hoc, quod nos agimus, Thes-

salonicensi ecclesiæ semper esse commissum vt vobis vigilanter intendat. Facile disciplinæ subdi se patitur, qui ipsam vt condecet amplectitur disciplinam. Ita enim ordinatio cuncta se habet, vt maioribus ea quæ sub his esse docentur, obediant: & in hoc gradu regularum cuncta vertuntur. Nosque præcipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in sancto Petro Apostolo, cum illi claues aperiendi claudendique daret, indulsit: & inter Apostolos suos, non qui altero esset inferior, sed eum maxime qui esset primus legit. Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur: simus subiecti canonibus, cum canonũ præcepta seruamus. Sunt culpæ aliquantæ non leues, quæ illis innatæ prouincijs ad nos cum

simus longius, non possunt peruenire; aut iam semotis omnibus non ita vt sunt acta interposito temporis spatio perferuntur: quas omnes nos intercessione fratris & coëpiscopi nostri Rufi, cuius experientiam comprobatam esse in causis omnibus & vitæ actibus liquet, volumus resecari. Cui vicem nostram per vestram prouinciam noueritis esse commissam: ita vt ad eum, fratres carissimi, quicquid de causis agitur referatur. Sine eius consilio nullus ordinetur. nullus vsurpet eodem inconscio commissam illi prouinciam. colligere nisi cum eius voluntate episcopos non præsumant: per eum etiam ad nos siquid est referatur. Sed hac præceptione cognoscent & eum, qui refragandū nostræ auctoritati vel illius crediderit iussioni, a frater-

nitatis cœtu cum ipſe ſeparet, ſegregandum. Item recitata eſt.

XIV. DILECTISSIMO FRATRI Perigeni XYSTVS.

GRATVLARI potius quam conqueri deberemus de tuæ fraternitatis actibus, cum tibi Apoſtolicæ ſedis auctoritas in ipſis tuæ ordinationis initijs, quod te ſemper meminiſſe oportet, adfuerit. Sed vt noſtrum eſt, non iſta retexere; ita tuæ conuenit fidei, retinere. Nunc aliqua incitare voluiſſe cognouimus. Sed hæc, cum res per noſtrorum præſentiam, quos vice noſtra ad eas partes propter has cauſas direximus, ſopitæ ſint, præterimus. Nam & ſanctos fratres noſtros Martianinum presbyterum idem & diaconum Lollianum egiſſe credas, quod & vtilitatibus tuis, & ſedis

Apoſtolicæ auctoritati congrueret. Et idcirco nunc ad fraternitatem tuam nil tale ſcripſimus, quo tibi triſtitiam generemus; quia malumus correctione pacifica id quod tentatum fuerat aboleri. Nunc ergo, frater cariſſime, admonitus noſtris epiſtolis per fratrem & coëpiſcopum noſtrum Lucam, qui ad vos ſola caritatis gratia prouocatus aduenit, ſancto fratri & coëpiſcopo noſtro Anaſtaſio Theſſalonicenſis vrbis antiſtiti eam ſeruato reuerentiam, quam ceteri quoq; pontifices per Illyricum conſtituti, erga prædicti dignitatem reſeruare non abnuunt. Cum ſciamus nihil nouum illi a nobis fuiſſe conceſſum; ſed id quod eius deceſſoribus noſtri deceſſores detulerant, habita conſideratione diſciplinæ eccleſiaſticæ conſtitutum. Tua enim

magis intereſt, vt huic plurimum deferatur eccleſiæ, quæ tibi tantum honoris contulit, vt pro te contra eos qui tibi tunc æmuli fuerant, repugnaret.

Item recitata eſt.

XV. DILECTISSIMIS FRATRIBVS vniuerſis Epiſcopis ſynodo apud Theſſalonicam congregandis XYSTVS.

SI quantum inſeruitur legibus & Principum conſtitutis, quæ ſunt temporalia & mutantur, & ſæpe ſæpius abolentur, tantum diuinis legibus æternisque mandatis obedientiæ præſtaremus, eſſemus profecto ſummæ beatitudinis cõpotes, & mundanæ vexationis moleſtias vitaremus, illo rectore vel præſule, qui ſubinde ſubuenire cupiens cotidianis vocibus clamat: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Zach.1. *Inter cetera,*

& ad locum. Nos fratri & coëpiscopo noſtro Anaſtaſio tantum tribuimus, quantum deceſſoribus ipſius a noſtris deceſſoribus attributum. Priorum iudicium ſequimur, hæc conſtituendo, quæ ab his nouimus conſtituta: quia & ipſum huius probamus meriti, cuius fuerunt illi, qui talia meruerunt. Nullus obuiet ſalubribus conſtitutis: nullus præceptionibus his reſultet. Habeant honorem ſuum Metropolitani ſingularum, ſaluo huius priuilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In prouincia ſua ius habeant ordinandi; ſed hoc inſcio vel inuito, quem de omnibus volumus ordinationibus conſuli, nullus audeat ordinare. Ad Theſſalonicenſem maiores cauſæ referantur antiſtitem. Ipſum maior cura reſpectet, eos qui ad epi-

scopatum vocantur discutiendi solicitius, & probandi. Ipse optimos solertissimosq; de vestro numero eligat, quos negotijs secum adsciscat arbitros; aut sine se tribuat, qui in disceptationem missa componat. Nouerit Corinthius Episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minime tribuendam, si huic voluerit ecclesiæ resultare, quam sibi nouerit profuisse. Cui necesse est nos quoq; si quid tentare voluerit, obuiare; qui præteritorum quæ illi per nos præstita sunt memores sumus, & illicitis semper vsurpationibus obuiamus. De ceteris vero quæcunque illa sunt, nostris præsentibus volumus finiantur; quoniam tota illorum apud nos fides est: vt quæ illi probauerint, nos credamur iudicasse pariter & probasse. Data VIII Id. Iulias, Theo-

dosio XV, & Valentiniano IIII AA. Coss. Item recitata est.

DILECTISSIMO FRATRI Proclo XYSTVS. XVI.

LICET fraternitatem tuam disciplinis ecclesiasticis eruditam ea omnia quæ ad regularum & canonum obseruantiam pertinent, custodire summa solicitudine nouerimus, nec quidquam aut ipsam facere, aut facere alios sacerdotes se cohibente permittere, quod vetusta Patrum constituta peruertat, documentis euidentibus probauerimus: (id enim optimo conuenit & Deo dignissimo sacerdoti, vt & ad se pertinentia qua potest cura custodiat, & alios fratribus suis debita minime inquietare vel temerare ex aliqua parte permittat; moderatiorem honorificentiam suam

maiore gloria ſeruaturus, ſi nihil licere contra morem veterum attentantibus ſinat:) noſtra tamen adhortatione per gratiam caritatis hoc fraternitati tuæ ſpecialiter debet accedere, vt contra ſubreptiones aliquorum circumſpecta ſanctitas tua facultatem non præbeat horum incongruæ voluntati, qui eccleſijs per ſe ſcandalum cupiunt & diſcordiam generare; volentes per eccleſiarum perturbationem creſcere, & locum ſibi per diſpenſationem facere ſacerdotum. Id ergo quod nos quoq; ſeruamus, fraternitatem tuam, quam ſcimus hoc ſuo more facturam, volumus cuſtodire: id eſt, vt ſi quis ad fratrem & coëpiſcopum noſtrum Theſſalonicenſis vrbis antiſtitem harum prouinciarum quæ ad eum pertinent ſacerdos adueniat præter

eius conſcientiam, ſi ſine eius epiſtolis atque formata venire tentauerit, tanquam diſciplinæ eccleſiaſticæ deſpector & contemtor canonum, quos nos temerari ex aliqua parte non patimur, habeatur. Reuerentiæ veſtræ in commune præſtatur, ſi alter alterius honori debita, præuenientes inuicem per caritatis gratiam, reſeruetis: quæ fieri nolumus vt legimus. Diſcant omnes illius prouinciæ ſacerdotes tantæ fraternitatem tuam eſſe cenſuræ, vt non permittas fieri, quod non licet a ſacerdote tentari. Diceremus plura, ſi non de tuæ fraternitatis mente noſſemus maiora & ex hac parte ſentire, quam nos in noſtras epiſtolas haſce quas ad te dirigimus, poſſumus ſermone conferre. Habes recentiſſimum nuperhabitæ actionis exemplum

fratris noſtri Idduæ, circa quem tuæ fraternitatis decreuimus iudicium cuſtodiri: cognitioni tuæ facere nolentes iniuriam, cum eius intentionem iuſtiſſimam innocentia tuereris. Monendi ſunt ignorantes: at ſcientem atque ſeruantem talia ſi diutius velis inſtruere, non tam admonere, quam exprobrare ignorantiam videaris. Sufficiant ergo quæ ſcripſimus, frater cariſſime; quoniam ad hæc corrigenda atq; ſeruanda animum tuum atq; cenſuram nobiſcum ſentire confidimus. quoniam vnum cor & animum, vt
Act. 4. dicit ſcriptura, circa religionis obſeruantiam, canonum cuſtodiam, & diſciplinam eccleſiaſticam retinendam nos habere, vt debemus, & credimus. Data XV Kal. Ianuarias, Aëtio iterum & Segisuulto Coss. Item recitata eſt.

DI-

DILECTISSIMIS FRATRIBVS vniuersis Episcopis per Illyricum consistentibus XYSTVS. XVII.

DOCTOR gentium, vas electionis, religionis nostræ firmissimum fundamentum, epistolis omnibus quas ad singularum ciuitatum scribit ecclesias, de sua in Domino gratulatione testatur, quod cum his plena mentis suæ fiducia colloquatur, quos legis præceptis parere videat, & in Dei nostri timore versari. Si tanta igitur Apostolo tam docto quam sancto est mentis hilaritas, quod tantos pariter, quod nouit & his ad quos scribit & religioni proficere, vnis appellet epistolis; quanto nobis gaudio existimatis esse, quoniam in commune sanctitatis vestræ datur nobis appellare concilium, & sermonem nostrum af-

fectionis piæ circa vos teſtimonia continentem, cum veſtra ſanctitate coniungere? Ille enim ſingulas, vt diximus, epiſtolis ſuis viſitat eccleſias, nos tot pariter credimus eccleſias noſtris appellare nos literis, quot eſtis, qui ad ſanctam ſynodum conuenitis. Illi eſt ſermo cum rudibus atq; diſcipulis; nobis ſermo cum collegis & doctis. Et vt a beatiſſimi Pauli, cuius maxime præceptis obedire vos conuenit, non recedamus exemplo; non vobis graue ſit de his quæ ad noſtram notitiam perueniunt, vt ſeruetur diſciplina eccleſiaſtica, commoneri acſi præſentes. Ergo vobiſcum quod ad regularum canonumq; cuſtodiam proficere nouimus, pro ſolicitudine noſtra conferimus, ſequeſtro filio noſtro Artemio presbytero, cuius nobis effi-

cacia in agendo pariter & moderatio placuit & amor, vt traditus trames a Patribus firmis vestræ dilectionis vestigijs teneatur, & ea quæ a nobis propter quietem ecclesiarum sunt custodita seruentur. Illyricanæ omnes ecclesiæ, vt a decessoribus nostris accepimus, & nos quoq; fecimus, ad curam nunc pertinent Thessalonicensis antistitis; vt sua solicitudine si quæ inter fratres nascantur, vt assolent, actiones distinguat atq; definiat, & ad eum quidquid a singulis sacerdotibus agitur, referatur. Sit concilium quotiens causæ fuerint, quotiens ille pro necessitatum emergentium ratione decreuerit: vt merito sedes Apostolica relatione eius instructa quæ fuerint acta confirmet. Euocatus vestrum venire nemo contemnat, nec con-

gregationi ſanctæ, ad quam debet feſtinare, ſe deneget. Excuſatio per contumaciam non requiratur; vt vobis pariter conuenientibus poſſit in commune conſtitui, quod Eccleſiarum ſeruet quietem, & populos teneat ad ſalutem. Nec his vos fratres cariſſimi conſtitutis, quæ præter noſtra præcepta Orientalis ſynodus decernere voluit, credatis teneri; præter id quidem quod de fide nobis conſentientibus iudicauit. A canonum præceptis veſtrum nemo diſcedat, nec ab his deuiet quæ iuxta regularum ordinem frequens ad vos directa ſedis Apoſtolicæ decreuit auctoritas. Si quid forſitan aut inter fratres natum fuerit, aut fratri cuipiam aliqua actio qua pulſetur illata; aut illic fratre & coëpiſcopo noſtro Anaſtaſio iudice eue-

niens negotium terminetur; qui vices Apostolicæ sedis agere, vt beatæ memoriæ Rufus decessor ipsius, ex nostra voluntate cognoscitur: aut ad nos, si illic finiri non potuerit, eodem tamen suis literis causam omnem quæ vertitur prosequente, veniat examen. Nullum corpus est quod capite non regatur. Estis quidem membra, vt nouimus, sancta; sed vestrum caput respicere & honorare vos condecet. quoniam honor capitis ad spem totius proficit sanctitatis: & suum corpus solicitis tuetur oculis, quod sibi aptum & dignis videatur ad vnamquamque rem officijs conuenire. Sed vt omne corpus capite regitur, ita ipsum caput nisi suo corpore sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet quam habuerat digni-

tatem. Estote igitur, vt esse conuenit Domini sacerdotes, ecclesiarum præsules, religionis nostræ doctores. Reseruate fratri & coëpiscopo nostro reuerentiam quá debetis: & inter vos pacem & concordiam custodite. Sit in vobis, vt esse credimus, cor vnum & anima vna. Nec credatis vobis minui, quidquid reuerentiæ illius, ad quem & maiores nostri & nos Illyricanas Ecclesias iuxta morem traditum voluimus pertinere, a vestra dilectione & seruari volumus & deferri. Data XV Kal. Ianuarias, Aetio iterum & Segisuulto Coss.

Item recitata est:

VICTORES VALENTINIANVS ET MARCIANVS INCLITI TRIVMphatores semper Augusti sancto Patri merito venerabili XVIII.

LEONI EPISCOPO.

Vt speraverint Ecclesiam Constantinopolitanam secundam Sedem fieri debere, quod non est concessum.

DIVINA humanaq; scripta consentiunt diuinitatem imprimis esse venerandam, & ibi omnipotentem Deum esse propitiũ, vbi colatur rite religio. Id ergo quod quærebamus inuenimus, & effectum vota nostra meruerunt. Inuenit religionis fidem religiosus affectus: nec dubium est Deo auctore definitum, quod de maiestate quærebatur. Explosa igitur contentione atque discordia, quam liuor fidei inimicus obiecerat, Deum omnes vna

mente cognoſcunt. Iam non incuſamus ingrati. Religionis inimici præſtiterunt nobis, vt Deum ſtudioſius quæreremus, manifeſtius inueniremus. Maius etenim lumen videtur, quod poſt tenebras fulſerit: dulcior eſt ſitientibus potus, feſſis otium. Lætetur igitur ſanctimonia tua victoria. Fidei huius laurea omnipotenti Chriſto referenda eſt, qui de perfidis egit triumphum. Atque ideo ipſi intereſſe ſanctæ Synodo feſtinauimus, quamuis nos in alijs locis expeditiones & neceſſitates publicæ detinerent. Itaque omnia pro votis atque oratione religionis tuæ, quæ fidei conueniunt auctore Deo ſunt ordinata. Totius orbis qui ſub imperio noſtro eſt reuerentiſſimis Epiſcopis Chalcedonem conuocatis, tractatu habito poſt multa certamina vera

fides obtinuit, & iuxta literas ſanctitatis tuæ vniuerſi aſſenſerunt expoſitioni, prout veritas poſtulauit. Nec dubitamus huius rei gratulationem nobis & Sanctitati tuæ eſſe communem; pariterque lætari, quos pariter manifeſtum eſt optaſſe veritatem. Supereſt vt vniuerſis pro catholica fide & pro veritate compoſitis, & pace eccleſijs reſtituta, votis omnibus in perniciem hoſtium Sanctitas tua diuinam prouocet maieſtatem: quod te & ante literas noſtras facere certiſſimum eſt. Quoniam vero & hoc ſtatutum eſt, vt ea quæ centum quinquaginta ſanctiſſimi Epiſcopi ſub diuo Theodoſio maiore de honore venerabilis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatuerunt, & quæ nunc a ſancta Synodo de eadem re ſtatuta ſunt, firma ſeruentur: ſcili-

cet, vt post sedem Apostolicam Constantinopolitanæ Vrbis antistes secundum obtineat locum; quoniam & eadem splendidissima ciuitas iunior Roma nuncupatur: dignetur Sanctitas tua etiá huic parti proprium adhibere consensum. Quamuis reuerentissimi episcopi, qui tuæ religionis vicem agentes ad sanctam synodum conuenerunt, contradixerint. Vehementer enim prohibebant de hac venerabili Ecclesia a Synodo aliquid ordinari. Speramus autem quod concordantibus toto orbe sacerdotibus, ea quæ reipublicæ Romanæ proderunt, diuinus fauor præstare dignabitur. Qua de re per Lucianum virum religiosum episcopum, & Basilium diaconum harum portatores omnia vere insinuari oportere censuimus: &

petimus vt ea quæ ſancta Synodus ſtatuit, etiam religio tua in perpetuum præcipiat obſeruari. *Et alia manu.* Diuinitas te ſeruet per multos annos ſancte ac religioſiſſime Pater. Data XV Kal. Ianuarias, Conſtantinopoli, D.N. Marciano PP. Aug, & qui fuerit nominatus, Coss.

Item recitata eſt.

LEO EPISCOPVS MARCIANO Auguſto. XIX.

MAGNO munere miſericordiæ Dei totius Eccleſiæ catholicæ multiplicata ſunt gaudia, cum ſancto & glorioſo clementiæ veſtræ ſtudio pernicioſiſſimus error extinctus eſt: vt labor noſter citiùs ad deſideratum perueniret effectum, quem Deo ſeruiens principatus veſter & fide & poteſtate iuuiſſet. Quia etſi in vir- Edit. Rom. 57.

tute Spiritus ſancti, inter quaslibet diſſenſiones per Sedis Apoſtolicæ famulatum Euangelij erat defendenda libertas, manifeſtior tamen apparuit gratia Dei, quæ præſtitit mundo, vt in victoria veritatis auctores tantum violatæ fidei deperirent, & ſua integritas Eccleſiæ redderetur. Bellum igitur, quod pacis noſtræ inimicus excitauerat, adeò feliciter, dextera Domini pugnante, confectum eſt; vt triumphante Chriſto, omnium ſacerdotum eſſet vna victoria, & coruſcante lumine veritatis, ſolæ erroris tenebræ cum ſuis adſertoribus pellerentur. Nam ſicut in ipſa Domini reſurrectione credenda, ad corroboranda initia fidei multum ſecuritatis acceſſit, quòd quidam Apoſtoli de corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti veritate dubitauere, & viſu at-

que contactu fixuras clauorum, & vulnus lanceæ perſcrutando, ambiguitatem cunctis, dum ambigunt, abſtulerunt: ita nunc quoque, cùm aliquorum infidelitas confutatur, omnium hæſitantium corda firmata ſunt, & profecit vniuerſis ad illuminationē, quod quibuſdam intulit cæcitatem. In quo opere & digne & iuſte exultat veſtra clementia, : quæ fideliter, proprieque proſpexit, vt Orientalibus Eccleſijs diabolicæ inſidiæ non nocerent; ſed ad propitiandum Deum efficaciora vbique offerrentur holocauſta, quando per mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtū Ieſum eadem confeſſio plebium, eadem ſacerdotum, eadem eſſet & regum, glorioſiſſime fili, & clementiſſime Auguſte. His autem, propter quæ tanta facta,

est congregatio sacerdotum, bono & optabili fine compositis, miror & doleo, quòd pacem vniuersalis Ecclesiæ diuinitus reformatam, ambitionis rursus spiritus inquietet. Quamuis enim necessarie sibi frater meus Anatolius consuluisse videatur, vt ordinatorum suorum errorem deferens, in assensum catholicæ fidei salubri correctione transiret; custodire tamen debuit, vt quod nostro beneficio noscitur consecutus, nullius prauitatis cupiditate turbaret. Nos enim vestræ fidei & interuentionis habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis auctores eius initia tituharent, benigniores circa ipsum quam iustiores esse voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remedijs leniremus: quæ

illum modestum magis, quam immoderatum facere debuerunt. Qui etiamsi præcipuis meritis, optimoque iudicio legitime fuisset ac solemniter ordinatus, contra reuerentiam tamen canonum paternorum, contra sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragijs adiuuari. Apud Christianum & vere religiosum, vereque orthodoxum Principem loquor, multum Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum secularium, alia diuinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit,

ſtabilis erit vlla conſtructio. Propria perdit, qui indebita concupiſcit. Satis ſit, quod prædicto veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu, epiſcopatum tantæ Vrbis obtinuit. Non dedignetur Regiam ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem; nec vllo ſperet modo, quod per aliorum poſſit offenſiones augeri. Priuilegia enim Eccleſiarum ſanctorum Patrum canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ ſynodi fixa decretis, nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequẽdo, neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum; quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in Synodo Nicæna, ad totius

Eccle-

Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me quod absit, conniuente violentur; & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quam vniuersæ domus Domini communis vtilitas. Et ideo sciens glorioſam clementiá vestram ecclesiasticæ studere concordiæ, & his quæ pacificæ congruunt vnitati, pijssimum præstare consensum, precor & sedula suggestione vos obsecro, vt ausus improbos, vnitati Christianæ pacique contrarios, ab omni pietatis vestræ abdicetis assensu; & fratris mei Anatolij nocituram ipsi, si perstiterit, cupiditatem salubriter comprimatis: ne ea quæ vestræ gloriæ atque temporibus inimica sunt cupiens, maior suis velit esse prioribus; liberumque illi sit quantis potuerit splendere virtutibus, quarum non aliter par-

ticeps erit, nisi caritate magis voluerit ornari, quam ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderij conceptionem nunquam debuit intra cordis sui recipere secretum: sed cum illi fratres & coëpiscopi mei, qui vice mea adierant, obuiarent, ab illicito appetitu, eorum saltem salubri contradictione cessasset. Nam & vestræ pietatis apices, & ipsius scripta declarant, Legatos Sedis Apostolicæ, sicut oportuit, contradictione iustissima ei restitisse; vt inexcusabilior esset præsumptio, quæ se nec increpata cohiberet. Vnde quia conuenit fidei vestræ vel gloriæ, vt sicut hæresis Deo per vos agente destructa est; ita etiam omnis ambitus retundatur, agite quod & Christianæ est probitatis & regiæ, vt prædictus episcopus pareat Patribus, consulat

paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ sine vllo exemplo, contra statuta canonum, Episcopum ordinare præsumpsit; quod amore reparandæ fidei & pacis studio retractare cessauimus. Abstineat ergo ab ecclesiasticarum iniuria regularum, & illicitos declinet excessus, ne se ab vniuersali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat. Quem opto magis, irreprehensibiliter agentem diligere, quam in hac præsumptione, quæ illum ab omnibus poterit separare, perdurare. Frater autem & coëpiscopus meus Lucianus, qui cum filio meo Basilio diacono clementiæ vestræ ad me scripta portauit, omni deuotione partem susceptæ legationis impleuit: qui non est æstimandus negocio defuisse, quem potius causa deseruit. Data xi. Kal.

Iunias, Herculano V. C. CONS. Item recitata est.

XX. DILECTISISMO FRATRI Anatolio LEO.

Edit. Rom. 56. MANIFESTATO, sicut optauimus, per gratiam Dei lumine euangelicæ veritatis, & ab vniuersali Ecclesia pernicioſissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in Domino, quod creditæ nobis dispensationis labor ad desideratum peruenit effectum, sicut etiam epistolæ tuæ textus eloquitur; vt secundum Apostolicam 1. Cor. 1. doctrinam, idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. In cuius operis deuotione gratulamur dilectionem tuam esse consortem: vt & corrigendis tua prodesset industria, & ab omni

te deuiantium participatione & factione purgares. Deceſſore enim tuo beatæ memoriæ Flauiano propter defenſionem Catholicæ veritatis electo, non immerito credebatur, quod ordinatores tui contra ſanctorum canonum conſtituta viderentur ſui ſimilem conſecraſſe. Sed adfuit miſericordia Dei, in hoc te dirigens atque confirmans, vt malis principijs bene vtereris; & non te iudicio hominum, ſed Dei proiectum benignitate monſtrares. Quod vere ita accipiendum eſt, ſi hanc diuini muneris gratiam alia offenſione non perdas. Virum enim catholicum, & præcipue Domini ſacerdotem, ſicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate corrumpi. Dicente quippe ſcriptura ſancta: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, Eccl. 18.

& à voluntate tua vetare; multis mundi huius illecebris, multis vanitatibus resistendum est, vt veræ continentiæ obtineatur integritas: cuius prima est labes superbia, initium trangressionis, & origo peccati. Quoniam mens potentiæ auida, nec abstinere nouit a vetitis, nec gaudere concessis; dum inordinato prauoque processu, impunitarum transgressionum augentur excessus, & crebrescunt culpæ, quæ toleratæ sunt studio fidei reparandæ & amore concordiæ. Post illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris in-

fringere: tanquam opportune ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris priuilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, vt his locis iuri tuo ſubditis omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis & nunquam ante tentatis ita præueniris exceſſibus, vt ſanctam Synodum, ad extinguendam ſolũ hæreſim, & ad confirmationem fidei catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & vt conniuentiam ſuam tibi det, impellas: tanquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, & illa Nicænorum canonum per Spiritum vere ſanctum ordinata conditio in aliqua vnquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibi de-

multiplicatione congregationis ſynodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atq; octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus ſacerdotum vel comparare ſe audeat vel præferre: cum tanto diuinitus priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum. Nimis ergo hæc improba, nimis ſunt praua, quæ ſacratiſſimis canonibus inueniuntur eſſe contraria. In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio ſynodali, vt fratres in fidei tantummodo negotio conuocatos,& definitione eius cauſæ quæ erat curanda, perfunctos, ad con-

ſentiendum ſibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres noſtri ab Apoſtolica ſede directi, qui vice mea Synodo præſidebant, probabiliter atque conſtanter illicitis auſibus obſtiterunt, aperte reclamantes, ne contra inſtituta Nicæni concilij præſumtio reprobæ nouitatis aſſurgeret. Nec poteſt de eorum contradictione dubitari, de quibus in epiſtola tua etiam ipſe conquereris, quod conatibus tuis voluerint obuiare. In quo eos quidem multum mihi hæc ſcribendo commendas: ſed temetipſum, quod eis parere nolueris dum illicita moliris, accuſas; ſuperflue non concedenda appetens, & inſalubriter tibi contraria concupiſcens, quæ nullum vnquam poterunt noſtrum ob-

tinere consensum. Absit enim a conscientia mea, vt tam praua cupiditas meis studijs adiuuetur: ac non potius & meo,& omnium qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur. Sancti illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam aliter quam illi statuerunt præsumitur, sine cunctatione cassatur: vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt,nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum,quæ ad bonum sunt commune præfixa & manentibus terminis quos

constituerunt patres, nemo in ius tendat alienum; sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine se caritatis exerceat. cuius satis vberes fructus Constantinopolitanus potest antistes acquirere, si magis humilitatis virtute nitatur, quam si spiritu ambitionis infletur. Noli frater altum sapere, sed time, & Christianissimorum Principũ pijssimas aures improbis petitionibus inquietare desiste: quibus certum habeo modestia te magis quam elatione placiturum. Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta, vt iactas, annos facta subscriptio, nunquamque a prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ dudumque collapsæ, sera

nunc & inutilia ſubijcere fomenta voluiſti, eliciendo a fratribus ſpeciem conſenſionis, quam tibi in ſuam iniuriam verecundia fatigata præberet. Memento quid Dominus ei, qui vnum de puſillis ſcandalizauerit, commine-
Matt. 18. tur, & ſapienter intellige, quale ſit Dei iudicium ſubiturus, qui tot Eccleſijs, tot ſacerdotibus ſcandalum inferre non metuit. Fateor enim ita me dilectione vniuerſæ fraternitatis obſtringi, vt nemini prorſus in his quæ contra ſe poſcit, aſſentiam; poſſiſque euidenter agnoſcere me dilectioni tuæ beneuolo animo contraire, vt ſaniore conſilio ab vniuerſalis te Eccleſiæ perturbatione contineas. Non conuellantur prouincialium iura primatuum, nec priuilegijs antiquitus inſtitutis Metropolitani fraudenter antiſtites.

Nihil Alexandrinæ ſedi eius quã per ſanctum Marcum euangeliſtam beati Petri diſcipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente, ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis. Antiochena quoque eccleſia, in qua primum prædicante beato Apoſtolo Petro Chriſtianum nomen exortum eſt, in paternæ conſtitutionis ordine perſeueret; & in gradu tertio collocata nunquam ſe fiat inferior. Aliud enim ſunt ſedes, aliud præſidentes: & magnus vnicuique honor eſt integritas ſua. Quæ cum in quibuslibet locis propria ornamenta non perdat, quanto magis in Conſtantinopolitanæ Vrbis magnificentia poteſt eſſe glorioſa, ſi per obſeruantiam tuam & defenſionem paterni canones, & exem-

plum probitatis multi habeant sacerdotes. Hæc tibi scribens frater in Domino hortor ac moneo, vt depositio ambitionis desiderio, spiritu potius ferueas caritatis, eiusque virtutibus, secundum doctrinam Apostolicam, proficienter orneris. Est enim *patiens & benigna, & non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt*. Vnde si caritas non quærit propria, quantum peccat qui concupiscit aliena? A quibus volo vt te prorsus abstineas, memorque sis eius sententiæ, quæ dicit: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*. Nam si inconcessa quæsieris, ipse te tuo opere atque iudicio vniuersalis Ecclesiæ pace priuabis. Frater autem & coëpiscopus noster Lucianus, & filius noster Basilius dia-

1. Cor. 13.

Apoc. 3.

conus, quantum in ipsis fuit, studiosè his quæ eis iniunxeras adfuere: sed actioni eorum iustitia negauit effectum. Data XI Kal. Iunias, Herculano V.C. Cons. Item recitata est.

LEO EPISCOPVS MARCIANO Augusto. XXI.

LITERARVM clementiæ vestræ multiplex gratia debita a me veneratione suscepta est, & gratulanter agnoui, quam piam curam Christianæ religionis, vt consuetis, habeatis; cum inter Domini sacerdotes eam vultis firmare concordiam, quæ & vniuersali Ecclesiæ & diuino apta sit cultui. Illa enim probabilis pax & caritas vera est, quam plenissime beatus Apostolus prædicat dicens: *Caritas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta*. Ob- 1.Tim.1.

sequens itaque & libenter assentiens sanctis vestræ pietatis hortatibus, fratris & coëpiscopi mei Anatolij scriptis reciproco vt debui sermone respondi: qui cessationem alloquij mei suo silentio potuit imputare, cum ad literas meas quibus eum fraterna caritate monueram, vt a reprehensibili ambitione discederet, vlterius respondere neglexit. Ego vero qui apud illum tacui, clementiæ vestræ pro pace vniuersalis Ecclesiæ quæ essent profutura suggerere pro mea cura non destiti. Nam & vestra mansuetudo insinuationem meam tam libenter accipit, vt & semper scribere dignaretur, & hęc ageret; vt quæ nunc correcta sunt vestræ gloriæ debeantur; quod tales nunc misit epistolas, quibus notabilem ambitus culpam alijs

potius

potius quam sibi assereret deputandam. Agnoscat ergo, Auguste venerabilis, prædictus antistes, quanto amplius humilitate quam elatione crescatur; & memor limitum paternorum salubritatem canonum ad pacem vniuersalis Ecclesiæ conditorum ea qua debet imposterum obseruatione custodiat: defensioni quoque catholicæ fidei indesinenter inuigilet, & pro custodia dominici gregis diligentes prætendat excubias. Vtatur in omnibus deuotissimo vestræ pietatis auxilio; & si quid vsquam sub catholico nomine hostilium fraudum latet, id prouidendum gloriæ vestræ instanter indicet. Qui enim sacrilegum errorem a longinquioribus quoque prouincijs expulistis, & ad veritatis lucem contenebrata Palæstinorum corda reuocastis; quomo-

do eum ſub veſtræ fidei radijs ſperare patiemini; cum etiam per Ægyptum, Deo vos in omnibus adiuuante, celerius credamus omnes praui dogmatis extinguendas eſſe reliquias? Benigne enim his conſulitis, quibus licentiam execrabilis erroris aufertis. Gaudeo itaque glorioſe quæ perturbata fuerant eſſe compoſita: cum ad memoriam beati Flauiani conſolatio diſcipulorum eius excolitur: cum Andreas ab archidiaconi miniſterio ſubmouetur: cum poſtremo a ſanctorum Patrum iniuria temperatur, & a violandis canonibus abſtinetur; vt regnum veſtrum Chriſto regnante tranquillum, Chriſto defendente ſit validum. Vnde, cum per omnia me clementiæ veſtræ parere delectet, fratris mei Anatolij caritate & toto corde ſuſcipio ama-

bilem fidem, quæ se præbeat, & ab ea quam illi spondeo caritatem, nulla se deinceps varietate dissociet; eos sibi sincera affectione coniungens, quos catholicæ fidei probauimus defensores. Habet in omnibus vestræ pietatis quod sequatur exemplum; maxime cum benignitatis vestræ adiuuetur auxilio. Suggestiones autem fratris & coëpiscopi mei Iuliani, quem pietati vestræ commendo, quæso vt benignius sicut facitis audiatis. Hoc etiam fratri meo Anatolio proderit, si eum, quem pro catholico dogmate illic esse volui, dignanter habeatis. Illud etiam quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ est saluberrimum rogo, vt Carosus monachus, nimis imperitus nimisque peruersus, qui vt comperi multorum corda subuertit, sua vene-

na pietatis veſtræ beneficio vltra non exſerat: ne vbi ſancto veſtræ manſuetudinis ſtudio omnis pene hæreticorum eſt conatus extinctus, ibi per vilem ac reprobum damnatæ perfidiæ defenſorem & fidei veſtræ & ſynodalis violetur auctoritas. Data IIII Kal. Iunias, Aëtio & Studio Coss. Item recitata eſt.

XXII. SANCTISSIMO AC BEATISSIMO Coëpiſcopo Papæ LEONI ANATOLIVS in Domino ſalutem.

OMNE quidem ſolatium prorſus atque auxilium, quod vitæ laborioſæ curisque vallatæ ratio flagitaret, in veſtra poſitum ſperans eſſe beatitudine, totius ſarcinam mihi ſolicitudinis inde merito leuiorem fore credideră: nunc vero cunctis alijs acrior me preſſit anxietas, quam diutina

peperit veſtræ non ſolita Sanctitatis intermiſſio literarum ; maxime cum mihi quæ ſcriptæ eſſent a vobis alijs oſtenderentur epiſtolæ, quæ maius facerent doloris augmentum, qui frequentius cuperem potiri veſtris affatibus : vt illa vobis obediendo complerem, quæ veſtris omnifariam perfectiſſimis ſenſibus placita videbantur. Nam penitus abſit, vt eis ego quæcunque mihi fuiſſent mandata per literas, aduerſarer. Quia tamen pijſſimus & Chriſtianiſſimus Princeps, qui conſultiſſimæ ſuæ prouidentiæ bono tam res vniuerſas regit humanas, quam philoſophia diuinarum pollet vbique virtutum, cum quibus æmula pietatis zelare non ceſſat, cum ſic moderatur genus humanum, vt id ſtudio religionis in Deum reddat atten-

tius; vestræ beatitudinis literas mihi sublegit, ea statim quæ continebantur eis, vt placita vobis impleui. Quod me facere vel communis pacis vtilitas, vel quod decuerat hortabatur. Et reuerentissimus quidem sacrosanctæ nostræ Ecclesiæ presbyter Aëtius in priore loco atque honore ecclesiastico nobis est restitutus: omne quod episcopi nostri est, modeste faciens ipse responsum. Andreas autem, qui non proiectus a nobis, sed gradu faciente archidiaconi dignitate fuerat honoratus, ab ecclesia separatus est, cum his qui contra sanctæ memoriæ patrem nostrum atq; episcopum fuerant Flauianum; qui etiam partis antea perfidissimi fuerant Eutychetis: quamuis excusationibus plurimis & subscriptionibus proprijs, quas epistolæ

ſanctitatis veſtræ ſubdiderant, iam viderentur ſatisfeciſſe præteritis, eouſque quam diu quod vobis placitum ſuper iſtis, fuerit ordinatum. Conſiderans ergo beatitudo veſtra, quam noſtræ coniunctio caritatis ipſi Domino Chriſto, qui pax noſtra conſiſtit, grata futura ſit; & quantum fideliſſimi Principis animus exultabit; & quam pariter vniuerſa plebs Dei & Eccleſiæ Chriſti procul ab omni diſcordia liberæ permanebunt, literis ſuis nos lętificare dignetur; quibus illo perfici valeamus affectu, quem prudentiſſimis veſtris inſitum copioſe iam nouimus vigere præcordijs: vt perceptis alacriter veſtræ ſanctitatis epiſtolis, & gratias agamus Domino Deo noſtro Chriſto, qui totius difficultatis vincla diſrupit; eidemque vota ſolemnia pro ve-

ſtra beatitudine perſoluamus. De his autem, quę Conſtantinopolitanæ gratia ſedis ſancita ſunt in Chalcedonenſi nuper vniuerſali Synodo, pro certo beatitudo veſtra hoc habeat, nullam eſſe culpam in me homine, qui ſemper otium & quietem, in humilitate me continens, ab ineunte mea ætate dilexerim: ſed Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ reuerentiſſimus clerus eſt, qui hoc habuit ſtudium, & iſtarum partium religioſiſſimi ſacerdotes; qui in hoc fuere concordes, & ſibi pariter adiutores. Cum & ſic geſtorum vis omnis & confirmatio auctoritati veſtræ beatitudinis fuerit reſeruata. Hoc igitur bene compertum ſanctitas veſtra cognoſcat, nihil ex me iſtius cauſa factum eſſe negotij; qui ſemper omnem iactantiæ leuitatem &

aliena appetendi cupiditatem mihi vitandam crediderim. Omnem fraternitatem in Christo, quæ cum vestra est sanctitate, tam ego ipse, quam mei plurimum salutamus. *Et subscriptio literis græcis.*
Item recitata est.

DILECTISISMO FRATRI Anatolio LEO. XXIII.

SI firmo incommutabilique propositio dilectio tua curam gratiæ communis habuisset, nihil profecto quod vllam anxietatem tibi ingereret, extitisset. Non enim sinebat ratio, vt eius caritatem spernerem, quem amore pacis, & studio reparandæ catholicæ fidei inter ipsa episcopatus rudimenta iuuissem; optans in ecclesiasticis curis talem habere consortem, vt mihi de sanctis Edit. Rom. 77.

prędeceſſoribus tuis, nec Ioannis ſpiritualem copioſamque doctrinam, nec auctoritatem Attici, nec induſtriam Procli, nec fidem beati Flauiani deeſſe ſentirem: & ita ſtudijs tuis vterer, vt nullus auderet, vel fidei catholicæ reſultare, vel Nicænis venerabilium patrum regulis contraire. Sed cum in iniuriam canonum, vt agnoſcis, illa tentata ſint, quæ omnibus eccleſijs ſcandalum maximum generarent, quid aptius ac modeſtius facerem, quam vt te primum, vt ab hac intentione diſcederes, fraterno animo, miſſis literis admonerem? Ad quas cum non reſcriberes, ipſe te a colloquij mei conſortio ſeparaſti. Denique inde iam tacui, ſed clementiſſimo Principi, cuſtodi fidei, frequenti literarum petitione ſuggeſſi, vt pro pace eccleſia-

rum, quam tibi maxime prodeſſe cognoſcis, hęc quæ nunc a tua dilectione facta ſunt, implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quod ſecundum eruditionem Spiritus ſancti, cuius eſt virtute pleniſſimus, ſacerdotali dignatur ſtudere concordiæ; ſciens ſibi orationes ſupplicantium copioſius profuturas, ſi famuli vnius Domini in nullo ſint a veræ pacis vnitate diuiſi. Quod ergo in Cõſtantinopolitana Eccleſia quędam in officijs clericorum correcta ſignificas, vt & Aëtium preſbyterum in gratiam tuam affectionemque reuocaueris, & Andream ab archidiaconi actione ſubmoueris, nobis placuiſſe reſcribo: quia æſtimationem tuam, vt optabam, plurimum erigit atq; commendat. Et merito poſt correctionem in obliuionem dedu-

citur, quod reprehenſioni obnoxium videbatur; cum hęreticorum prouectione, & diſcipulorum ſanctæ memoriæ Flauiani iniuria grauareris, quæ nunc ſimul ab omni offenſione cum tui (vt volui) laude ceſſabunt: quia in ordinem ſuum, quæ fuerant turbata, redierunt. Andream ſane, qui rationabiliter archidiaconi eſt priuatus officio, & Eufratam, qui ſanctæ memoriæ Flauiani, vt comperi, improbus extitit accuſator, ſi profeſſionibus pleniſſime ſcriptis non minus Eutychianam hęreſim, quam Neſtorianum execrabile dogma condemnant, quoniam venia eſt pręſtanda correctis, presbyteros conſecrabis, vt ſibi remedium catholicæ fidei ſentiant profuiſſe; electo primitus & probato, qui archidiaconi officium poſſit implere, id eſt, quem

nulla vnquam prędictarum impietatum fama reſperſerit. Ceteri vero, quos par reatus inuoluerat, ſi veniam ſimili profeſſione cum ſatisfactione depoſcunt, ſuis ordinibus reformentur: his tantum ad officiorum primatum admiſſis, quos ab omni errore liberos fuiſſe conſtiterit. Illam autem culpam quam de augenda poteſtate, aliena vt aſſeris adhortatione contraxeras, efficacius atque ſincerius tua caritas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit, non ad ſola Clericorum conſilia tranſtuliſſes. Quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ita & in mala conſenſione peccatur. Sed gratum mihi frater cariſſime eſt, quod dilectio tua id profitetur ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ

communis regressum professio dilectionis tuæ, & attestatio principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit. Abijciatur penitus inconcessi iuris, qui dissensionem fecerat, appetitus. Sufficiant limites, quos sanctorum patrum prouidentissima decreta posuerunt: vt quieta sit suis meritis & antiquis priuilegijs dignitas omnium sacerdotum. Renouetur & maneat in te Dominicæ caritatis affectio, ad quam dilectionem tuam sæpius cohortatus sum cum fratre & coëpiscopo nostro Iuliano, qui communem gratiam semper optauit: cuius industria & solicitudines tuę releuabuntur, & fides catholica munietur. Super omnia autem fraterna caritate hortor & moneo, vt ea quæ ad gloriam, vel ad mu-

nimen pertinent ſacerdotalis officij, Nicænorum canonum vniuerſalis Eccleſiæ pacem ſeruantia decreta cuſtodias. Sic enim inter Domini ſacerdotes inuiolata caritas permanebit, ſi paribus ſtudijs quæ ſunt a ſanctis patribus conſtituta, ſeruentur. Data IIII Kal. Iunias, Aëtio & Studio vv. cc. Coss. Item recitata eſt.

DILECTISSIMO FRATRI Anaſtaſio LEO. XXIV.

OMNIVM quidem literas ſacerdotum grato nos relegere animo fraterni collegij caritas facit; cum per ſpiritalem gratiam tanquam preſentes amplectimur, quibus ſermone epiſtolis mutuo commeantibus ſociamur: ſed maior nobis in his eſſe videtur affectio, in quibus de ſtatu eccleſiarum certiores effecti, ad exercen-

dæ ſolicitudinis vigilantiam officij noſtri conſideratione compellimur: vt in ſpeculis, quemadmodum Deus voluit, conſtituti, & pro voto noſtro currentibus rebus noſtrum commodemus aſſenſum; & ea quæ deprauari aliqua vſurpatione perſpicimus, adhibitæ coërctionis remedijs corrigamus: ſperantes iacti ſeminis reſponſurum nobis vberem fructum, ſi non finamus creſcere, quæ in meſſis detrimenta dominicæ cœperint pullulare. Poſtquam itaque nobis petitio tuæ dilectionis innotuit per filium noſtrum Nicolaum presbyterum, vt tibi quoque a nobis, ſicut deceſſoribus tuis, per Illyricum cum noſtra vice propter cuſtodiam regularum auctoritas præſtaretur; præbentes aſſenſum noſtra adhortatione compellimus, vt nulla

diſſi-

dissimulatio, negligentia nulla proueniat circa Ecclesiarum regimen per Illyricum positarum, quas dilectioni tuæ vice nostra committimus; beatæ recordationis Siricij exemplum secuti, qui sanctæ memoriæ Anysio prædecessori tuo, bene de Apostolica sede tunc merito, & rebus post sequentibus approbato, certa tum primum ratione commisit, vt per illam prouinciam positis, quas ad disciplinam teneri voluit, ecclesijs subueniret. Glorioſa instantius exempla sequenda sunt, vt quorum priuilegijs vti cupimus, eorum nos similes in omnibus approbemus. Imitatorem te tam prædecessoris tui quam decessoris, qui pari modo hoc & meruisse & egisse cognoscitur, esse volumus: vt de profectu ecclesiarum, quas tibi vice nostra commitii-

mus, gaudeamus. Vt enim bene agenti, & quæ ſacerdotali auctoritati conueniunt ſolertius exequenti ad honorem proficit res tributa; ita huic oneri eſſe cognoſcitur, qui commiſſa ſibi poteſtate qua debet moderatione non vtitur. Credita itaque tibi, frater cariſſime, gubernacula peruigil tene, & mentis tuæ oculos per omnia quæ curæ tuæ videas iniuncta circumfer; in mercedem tuam profutura cuſtodiens, & his qui diſciplinam canonum labefactare nituntur obſiſtens. Diuinæ legis ſanctio veneranda, & canonum ſpecialius decreta ſeruentur. Per commiſſas tibi prouincias tales Domino ſacerdotes, quibus ſola vitæ & clericalis ordinis ſuffragentur merita, conſecrentur. Nihil gratiæ perſonali, nihil ambitioni, nihil redemptis

permittas licere suffragijs. Examinentur diligentius, & per longum vitæ tramitem disciplinis ecclesiasticis qui ordinandi fuerint imbuantur. Si tamen illis omnia quæ a sanctis Patribus sunt constituta conueniant, & quæ beatum Apostolum Paulum de talibus legimus præcepisse custodierint, vt vnius vxoris vir sit; & hanc virginem, vt auctoritas diuinæ legis cauet, acceperit. Quod solicitius volumus custodiri, vt omnibus excusationibus locum adimamus: ne se quisquam credat posse ad sacerdotium peruenire, qui vxorem antequam Christi gratiam consequeretur accepit; qua deficiente alteram post baptismum coniunxerit sibi. Cum negari vxor illa non possit, nec prioris coniugij numerus aboleri; & eorum ita sit pater filio-

rum, quos ante baptismum ex illa susceperit, quemadmodum & illorum, quos ex altera post baptismum noscitur suscepisse. Peccata & quæ illicita esse noscuntur, per lauacrum baptismatis abolebuntur; ita quæ sunt legis præcepto concessa vel licita, non delentur. Nullus te inconsulto per illas ecclesias ordinetur antistes. Ita enim fiet, vt sint de eligendis matura iudicia, dum tuæ dilectionis examinatio formidetur. Quisquis vero de Metropolitanis Episcopis contra nostram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse nouerit firmitatem, eosque vsurpationis suæ rationem qui hoc præsumpserint reddituros. Singulis autem Metropolitanis sicut potestas ista committitur, vt in suis prouin-

cijs ius habeant ordinandi; ita eos Metropolitanos a te volumus ordinari; maturo tamen & decocto iudicio. Quamuis enim omnes antistites probatos & Deo placitos deceat consecrari, hos tamen præcellere volumus, quos præfuturos his qui ad se pertinent consacerdotibus nouerimus. Quod dilectionem tuam solicitius agere præmonemus & cautius, vt illud Apostolicum custodire, quod scriptum est, approberis: *Manus cito nemini imposueris*. Ad synodum quisquis fratrum fuerit euocatus occurrat; nec sanctæ congregationi se deneget: in qua maxime constituendum esse nouerit, quod ad disciplinam poterit ecclesiasticam pertinere. Melius enim omnis culpa vitabitur; si inter sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur: emendationi 1. Tim. 5.

pariter & caritati plurimum præstat adunata societas. Illic si quæ causæ natæ fuerint præstante Domino ita poterunt terminari, vt contentio nulla resideat, sed solida inter fratres caritas coalescat. Si qua vero causa maior euenerit, quæ a tua fraternitate illic præsidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat: vt reuelante Domino, cuius misericordiæ profitemur esse quod possumus, quod ipse nobis aspirauerit rescribamus: vt cognitioni nostræ, pro traditione veteris instituti, & debita Apostolicæ sedis reuerentia, nostro examine vindicemus. Vt enim auctoritatem tuam vice nostra exercere te volumus; ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reseruamus. Hæc itaque in omnium

fratrum facies notitiam peruenire, vt nullus deinceps per ignorationem in obseruandis his quæ præcepimus excusandi se reperiat facultatem. Ad ipsos etiam Metropolitanos singularum prouinciarum nostra quibus eos moneremus scripta direximus; vt nouerint Apostolicis obediendum esse sententijs; & tunc se nobis parere, cum fraternitati tuæ ex nostra delegatione cœperint secundum ea quæ scripsimus obedire. Cognouimus sane, quod non potuimus silentio præterire, a quibusdam fratribus solos Episcopos tantum diebus dominicis ordinari: presbyteros vero & diaconos, circa quos par consecratio fieri debet, passim quolibet die dignitatem officij sacerdotalis accipere, quod contra canones & traditionem Patrũ vsurpatio cor-

rigenda committit: cum mos quibus est traditus circa omnes sacros ordines debeat omnimodis custodiri. Ita vt per longa temporum curricula, qui sacerdos vel leuita ordinandus est, per omnes clericalis officij ordines prouehatur: vt diuturno discat tempore, cuius & doctor ipse futurus est.
Data pridie Idus Ianuarias, Theodosio XVIII & Albino Coss.
Item recitata est.

XXV. DILECTISSIMIS FRATRIBVS Episcopis Metropolitanis per Illyricum constitutis LEO.

OMNIS admonitio salutaris, quam Domino credimus aspirante contingere, in mercedem proficit monentis & moniti. Et ideo nos hoc libenter arripimus, quoniam placere Deo nostro nō solum nostris, sed omnium fra-

trum consacerdotumque nostrorum actibus festinamus. In nostram enim recurrit gratiam, si Ecclesiæ sic regantur, vt nullus querimonijs aditus referetur. Sit itaque dilectioni vestræ, fratres carissimi, dulcis & iucunda præceptio, quam de sedis Apostolicæ auctoritate seruata caritatis gratia manare noscatis. Nec vobis aliquid iuris credatis imminui, si tam præsentibus quam futuris rebus videatis, ne illicitis præsumtionibus referetur aditus, præcaueri. Cautius enim vsurpationibus antequam tententur obsistere, quam quæ vsurpata fuerint vindicare. Et quia per omnes ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui Apostolicæ dignitatis beatissimo Apostolo Petro primatum fidei sui remuneratione commisit;

vniuersalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate cõstituens, necessitatem solicitudinis quam habemus, cum his qui nobis collegij caritate iuncti sunt sociamus. Vicem itaque nostram fratri & coèpiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus; & vt sit in speculis, ne quid illicitum a quoquam præsumatur, iniunximus: cui in his quæ ad ecclesiasticam pertinent disciplinam vt dilectio vestra pareat admonemus. Non enim tam illi obtemperabitur, quam nobis; qui hoc illi pro nostra solicitudine per illas prouincias cognoscimur commisisse. Volumus enim tales fieri Domino sacerdotes, quibus cuncta conueniant, quæ sunt ecclesiasticis canonibus diffinita: vt E-

piſcopi, presbyteri atque diaconi vnius vxoris viri ſint, ſecundum beati Apoſtoli ſententiam. & hanc ſecundum legis præcepta Virginem accipiant, non viduam, non repudiatam, ſicut legis ſcriptura teſtatur. Nec ſe quiſquam æſtimet poſſe ad ſacerdotium peruenire, qui ante baptiſmum deficiente quam habebat vxore, alteram rurſum poſtquam per gratiam baptiſmatis eſt renouatus, acceperit: cum in baptiſmate peccata deleantur, non vxorum numerus abrogetur. Adeo autem in excuſationem ſui hoc obtendere non poterit, vt eorum ſe patrem filiorum quos ante baptiſmum ſuſceperit, negare non poſſit. Neque enim vxor quæ ex legis præcepto ducitur, inter peccata quæ abluuntur baptiſmate poterit numerari. Ad ſyn-

odum quicunque fuerit euocatus occurrat; nec congregationi se deneget, in qua ad Deum pertinentes causas nouerit esse tractandas. Quidquid causarum, vt assolet, inter consacerdotes euenerit, eius cui vicem nostram commisimus examini reseruetur; vt illo sub Dei timore præsule omnis ambiguitas finiatur. Nihil in eius aut nostram contra hæc quæ constituimus præsumatur iniuriam. Eius nobis relatione, si quid ad nos referendum fuerit, innotescat. Ita enim vos ad illum pertinere volumus, vt ad vos prouinciarum vestrarum pertinent sacerdotes. Qui ergo iure sibi debito vti cupiunt, Apostolicæ sedis auctoritate concessa per suam contumaciam imminuere non nitantur. Vt vero vestræ dilectioni Prouinciæ suæ ordinatio

permittitur ſacerdotum; ita fratrem & coëpiſcopum noſtrum Anaſtaſium de ordinando antiſtite volumus conſulatis: cui Metropolitani epiſcopi conſecrationem ſtatuimus reſeruari; vt eo inquiſitore atque cuſtode cum certus licentiæ modus imponitur, eccleſiaſticæ diſciplinæ in omnibus ordo ſeruetur. Ipſum vero ſecundum definita canonum hoc veſtra dilectio noſtris epiſtolis admonitum eſſe cognoſcat, vt de ſtatu eccleſiarum veſtrarum certiores ſubinde ſua relatione nos faciat: ſciturus ſibi a nobis imputandum, ſi quid de his quæ ſtatuimus a quoquam fuerit temeratum. Si quæ vero cauſæ grauiores vel appellationes emerſerint, eas ſub ipſius relatione ad nos mitti debere decreuimus, vt noſtra ſecundum eccleſiaſticum

morem ſententia finiantur. Hæc vero quæ per filium meum Nicolaum presbyterum ſcripta direximus, recurrentibus literis, vt vos eadem ſciamus accepiſſe, reſcribite. Data prid. Id. Ianuarias, Theodoſio XVIII & Albino Coss. Item recitata eſt.

XXVI. DILECTISSIMIS FRATRIBVS Senecioni, Caroſo, Theodulo, Lucæ, Antiocho & Vigilantio Metropolitanis per Achaiam prouinciam conſtitutis LEO.

GRATO animo epiſtolas noſtras a veſtra dilectione ſuſceptas recurrentis paginæ ſermo teſtatus eſt, quas nos pro eccleſiarum ſtatu & pace ſoliciti, ne quid nouella præſumtio erroris afferret, noſcimur direxiſſe: volentes a ſacerdotibus Domini cuſtodiri quæ ſedis Apoſtolicæ auctoritas crebra

constituit: scilicet, vt per Illyricum ecclesiæ constitutæ ad curam fratris & coëpiscopi nostri Anastasij Thessalonicensis vrbis antistitis pertinerent: vt si quæ maiores inter Episcopos causæ sunt, quæ in prouincijs suis nequeant terminari, ad eius notitiam referantur, & eodem arbitro sub diuini timore iudicij componantur. Seruetur hic ordo sacerdotali concordiæ profuturus, vt ecclesiæ Domini concordi quemadmodum cupimus consilio construantur, & nullum insidianti diabolo aditum possit præbere dissensio, per quam valeat dissipare, quæ nos magno studio habita cupimus moderatione connectere. Inuitati fratres in causis maximis, & quæ intra prouincias suas finire nequeant terminandis, si nulla graui necessitate re-

tinentur, fraterno se studio pro ecclesiæ vtilitate non denegent. Maxime cum moderatio nostra prouiderit, vt non frequens, nec pro leuibus causis conueniendi necessitas indicatur: & binos ternosue Episcopos de singulis prouincijs adesse sufficiat; vt leue fiat paucis, quod multis esset onorosum. atque ita efficiatur studio caritatis, vt sacerdotalis tractatus ea quæ ad disciplinam possunt ecclesiasticam pertinere, sancto sibi spiritu reuelante constituat. Id enim nos volentes quorundam inobedientiam iusta coërctione corrigere vestra nouerit dilectio definijsse; vt quisquis superbo animo, cum nulla corporis vel causæ fuerit necessitate detentus, fraternum sæpius voluerit vitare conuentum, se sciat esse iudicandum. Et quia memorati fratris

noſtri ſollicita relatione cognouimus, Achaiæ prouinciæ metropolitanum illicitas & conſtitutis patrum noſtrisque auctoritatibus interdictas ordinationes ſæpe celebraſſe: illudque ſuis auſibus addidiſſe, vt Theſpienſibus inuitis & repugnantibus incognitum & ante non viſum epiſcopum conſecraret; illi prorſus metropolitano hoc licere non permittimus, vt ſuo tantum arbitrio ſine cleri & plebis aſſenſu quemquam ordinet ſacerdotem: ſed eum eccleſiæ Dei præficiat, quem totius ciuitatis conſenſus elegerit. Vt itaque nos deſides non ſumus in monendo quæ cuſtodiri debeant quæque vitari; ita in exequendis illis atque ſeruandis neminem eſſe patimur negligentem: cum cuſtodientem talia laus digniſſima comitetur, & fructus vt ſperamus a domino

vberior obsequatur : deuium vero & apostolicæ constitutionis oblitum obnoxium habitura sit & ecclesiastica & diuina censura. Illud quoque pari obseruantia ad sacerdotalis concordiæ vinculum ab omnibus volumus custodiri, vt nullus episcopus alterius episcopi clericum sibi audeat vindicare sine illius ad quem pertinet cessione: quam tamen euidentia scripta contineant, quoniam hoc & canonum definiuit auctoritas, & ipsa seruandæ vnitatis ratio docet: ne omnis ordo ecclesiasticus per hanc licentiam efficiatur instabilis. Altius itaque, fratres carissimi, quæ a nobis piæ mentis affectu decerni perspicitis, in pectora vestra descendant: vt nos qui sollicite cupimus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, præceptionis nostræ fructum percipiamus,

& vestræ dilectionis operibus gratulemur. Volumus enim tam vestrum esse quam nostrum est, vt per caritatis gratiam constituatur, quod nulla insidiantis diaboli arte violetur. Plenius vero obseruare debent, quæ caueri ad ipsum fratrem & coëpiscopum nostrum Anastasium scripsimus; eaque in vestram notitiam literis ipsius volumus peruenire: a quibus fraternitatem vestram nolumus deuiare; vt caritatem dominicam custodita patrum sanctione seruemus.
Data VIII Idus Ianuarias Aëtio III & Symmacho VV. CC. Coss.
Item recitata est.

Cætera in manuscripto desiderantur.

SEQVVNTVR

PONTIFICVM ROMANORVM

EPISTOLÆ XXIX

VEL NOVAE VEL MELIORES

NVNC PRIMVM EDITAE.

DAMASI PAPAE EPISTOLÆ

EXEMPLVM SYNODI HABITÆ Romæ episcoporum XCIII ex rescripto imperiali.

DAMASVS, Valerianus, Vitalianus, Aufidius, Pacianus, Victor, Priscus, Innocentius, Abundius, Theudulus, & cæteri, qui ad audiendam causam Auxentij, exponendamque fidem in vrbe Roma conuenerunt, episcopis catholicis per Orientem constitutis in Domino salutem.

CONFIDIMVS quidem sanctitatem vestram apostolorum instructione fundatam, eam tenere fidem, eamq; plebibus intimare, quæ a maiorum institutis

nulla ratione dissentiat. Neq; enim aliter dei sentire conuenit sacerdotes, quorum pars est cæteros erudire. Sed Gallorum atque Venetensium fratrum relatione comperimus, nonnullos non hæresis studio; neque enim hoc tantum mali cadere in dei antistites potest; sed inscitia vel ex simplicitate quadam scæuis interpretationibus æstuantes, non satis dispicere, quæ magis patrum nostrorum sit tenenda sententia, cum diuersa consilia eorum auribus ingerantur. Denique Auxentium Mediolanensem hac præcipue causa damnatum esse perscribunt. Par est igitur vniuersos magistros legis per orbem Romanum paria de lege sentire, nec diuersis magisterijs fidem dominicam violare. Nam cum dudum hæreticorum virus, vt nunc iterum cæpit obrepere,

ac præcipue Arianorum blaſphemia, pullulare cæpiſſet, maiores noſtri CCCXVIII epiſcopi, atque ex vrbe ſanctiſſimi epiſcopi vrbis Romæ directi apud Nicæam confecto concilio hunc murum aduerſus arma diabolica ſtatuerunt, atque hoc antidoto mortalia pocula propulſarunt, vt patrem, filium, ſpiritumque ſanctum vnius deitatis, vnius virtutis, vnius figuræ, vniùs credere oporteret ſubſtantiæ; contra ſentientem alienum a noſtro conſortio iudicantes. Quam definitionem ſalutarem poſtea alijs tractatibus quidam peruertere & violare tentauerunt. Sed & in ipſo exordio ab iiſdem ipſis, qui hoc apud Ariminum retractare cogebantur, emendatum hactenus eſt, vt ſubreptum ſibi alia diſputatione faterentur, idcirco quod non intellexiſſent patrum ſententiam apud

Nicæam formatam esse contrarium. Neque enim præiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum conuenerunt: cum constet, neque Romanum episcopum, cuius ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vicentium, qui tot annos sacerdotium inlibate seruauit, neque alios huiusmodi statutis consensum aliquem commodasse: cum præsertim, vt diximus, iidem ipsi qui per impressionem succubuisse videbantur, iidem consilio meliore displicere sibi fuerint protestati. Vnde aduertit sinceritas vestra, hanc solam fidem, quæ apud Nicæam apostolorum auctoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam; hac nobiscum orientales, qui se catholicos recognoscunt, occidentalesque gloriari. Non longe autem fieri posse credimus, vt

qui secus sentiunt, licet hoc ipso conatu a nostra communione exui possint, plebesque eorum erroribus liberatæ respirent. Quemadmodum enim poterunt corrigere errata populorum, si ipsos error obsederit? Concinat ergo cum omnibus dei sacerdotibus & vestræ sententia caritatis: in qua vos fixos atque firmatos vt bene credimus, ita etiam nos vobiscum recte sentire debemus reciprocis sanctitatis vestræ litteris approbare.

EGO SABINVS diaconus Mediolanensis legatus de authentico dedi.

ITEM EX PARTE DECRETI.

Ea gratia, fratres, Hiericho illaquæ figura est sæcularium voluptatum, conclamata concidit, nec resurgit; quia omnes vno ore vnius virtutis, vnius maiestatis, vnius diuinitatis, vnius vsiæ dicimus diuinitatem; ita vt inseparabilem pote- Ios. 6, 20.

ſtatem, tres tamen aſſeramus eſſe perſonas, nec redire in ſe aut minui, vt plerique blaſphemant, ſed ſemper manere: nec potentiæ gradus quoſdam, ortusque tempora diſparata; nec prolatiuum, vt generationem ei demas; nec imperfectum, vt ad perſonam aut patris naturæ aut diuinitatis ei plenitudo defuerit; nec diſsimilem opere filium, nec diſsimilem poteſtate, aut per vniuerſa diſſimilem: nec ſubſiſtere aliunde, ſed de deo natum; nec falſum de deo vero, ſed deum verum de deo vero eſſe generatum, lumen verum de vero lumine; ne minutum aut diuerſum putetur, quod vnigenitus habet ſplendorem lucis æternæ: quia naturæ ordine neque ſine ſplendore lumen, neque ſplendor poteſt eſſe ſine lumine. Imaginem quoque patris; vt eum qui viderit, viderit & patrem. Eun-

dem redemptionis noſtræ gratia proceſsiſſe de virgine; vt perfectus homo pro perfecto qui peccauerat homine naſceretur. Ergo fratres aſſeramus dei filium & perfectum hominem ſuſcepiſſe. Spiritum quoque ſanctum increatum, atq; vnius maieſtatis, vnius vſiæ, vnius virtutis cum deo patre & domino noſtro Ieſu Chriſto fateamur. Neque enim creaturæ dignus iniuria eſt, qui emiſſus eſt vt crearet, ſicut propheta ſanctus adſtruxit dicens: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*: deinde alius item poſuit: *Spiritus diuinus qui fecit me*: qui in operatione ac peccatorum remiſsione connectitur. Hæc eſt, fratres dilectiſsimi, fides noſtra: quam quiſque ſequitur, noſter eſt particeps; diſcolor corpus, membra deformat. His nos communionem damus, quoniam in omnibus

Pſ. 103, 30.

Ioh. 30, 4.

sententiam probant. Absit vt fides pura varijs coloribus adsuatur. Illud præterea cauendum monemus, ne canonicus ordo in sacerdotum vel clericorum ordinationibus negligatur, aut præuaricatoribus eius impartiatur facile communio, vt de reliquis peccando incentiua tribuatur. Hæc igitur de nostro fuerant intimanda iudicio. Cæterum quod ad remouendas vestræ dilectionis spectat iniurias, nec frater noster Dorotheus presbyter explicare omnia viuaciter prætermittit, nec nixus nostri, vt ipse testis est, defuerunt.

ITEM EX PARTE DECRETI.

Illud sane miramur quod quidam inter nostros dicantur, qui licet de trinitate piam intelligentiam habere videantur, de sacramento tamen salutis nostræ ignorantes virtutes scripturasque, & re-

cta non sentiant. Adserunt enim dicere, dominum ac saluatorem nostrum ex Maria virgine imperfectum, id est, sine sensu hominem suscepisse. Heu quanta erit Arianorum in tali sensu vicinitas! Illi imperfectam diuinitatem in dei filio dicunt, isti imperfectam humanitatem in hominis filio mentiuntur. Quod si vtique imperfectus homo susceptus est, imperfectum dei munus est; imperfecta nostra salus, quia non est totus homo saluatus. Et vbi erit illud dictum domini: *Venit filius hominis saluare quod perierat?* totum, id est, in anima & in corpore, in sensu atque in tota substantia suæ naturæ. Si ergo totus homo perierat, necesse fuit, vt id quod perierat, saluaretur. Si autem sine sensu saluatus est, iam contra euangelii fidem inuenietur, non totum quod perie- Matt. 18, 11.

rat esse saluatum : cum alio loco
Ioan. 7. 23. ipse saluator dicat: *Irascimini mihi, quia totum hominem saluum feci*. Quid quod ipsius principalis delicti & totius perditionis summa in hominis sensu consistit. Primum enim sensus hominis eligendi boni malique si non periisset, non moreretur. Quomodo ergo præsumeretur in finem saluari minime debuisse, quod ante omnes peccasse cognoscitur ? Nos autem qui integros ac perfectos saluatos nos scimus, secundum catholicæ ecclesiæ professionem, perfectum deum perfectum suscepisse hominem profitemur. Quapropter date operam vt intelligentia sanæ doctrinæ etiã eorum sensus saluentur qui adhuc sensum saluatum esse non credunt.

ITEM EX PARTE DECRETI.

Non nobis quidquam suppetere facultatis, quatenus nobis nostra

opera vel paruum refrigerium poſſint afferre: licet magnum ex hoc beatiſſimi ſolatium capiatis, ſi integritatem fidei noſtræ noſcentes in vnum ſenſum nos congruere gloriemini, & ſatis atque abunde, vt conuenit, præſumatis, pro membris nos eſſe ſollicitos. Vt enim Nicæni concilii fidem inuiolabilem per omnia retinentes, ſine ſimulatione verborum aut ſenſu corrupto, nullomodo ſpiritum ſanctum ſeparamus; ſed perfectum in omnibus, virtute, honore, maieſtate, deitate, cum patre conueneramur & filio; ita etiam plenitudinem dei verbi non prolatiui ſed nati; neque in patre remanentis, vt non ſit, ſed ex æterno in æternum ſubſiſtentem, perfectum, id eſt integrum hominem adſumpſiſſe & ſaluaſſe confidimus.

EXPLICIT hæc epiſtola vel

expoſitio ſynodi Romanæ habitæ ſub Damaſo papa, & tranſmiſſa ad Orientem; in qua omnis orientalis eccleſia facta ſynodo apud Antiochiam conſona fide credentes, & omnes ita conſentientes eidem ſuperexpoſitæ fidei, ſinguli ſua ſubſcriptione confirmant.

MELETIVS epiſcopus Antiochenus conſentio omnibus ſupraſcriptis, ita credens & ſentiens; & ſi quis præter hæc ſentit anathema ſit.

EVSEBIVS epiſcopus Samoſatenus conſentio omnibus ſupraſcriptis, ita credens & ſentiens; & ſi quis præter hæc ſentit anathema ſit.

PELAGIVS epiſcopus Laudicenus conſentio omnibus ſupraſcriptis, ita ſentiens & credens; & ſi quis præter hæc ſentit anthema ſit.

ZENON epiſcopus Tyri vt ſupra credo & ſubſcripſi.

EVLO-

EVLOGIVS episcopus Edessenus similiter credo & subscripsi.

BEMATIVS de Mallo ciuitate similiter credo & subscripsi.

DIODORVS episcopus de Tarso vt supra, & subscripsi.

Similiter & alii CXLVI orientales episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodie in archiuis Romanæ ecclesiæ tenetur.

EXPLICIT SYNODVS ROMANA ET ANTIOCHENSIS.

Ad eandem synodum forte pertinet capitulum quod ex vetustissima canonum collectione bibliothecæ Vaticanæ subiungimus.

nulla ratione dissentiat. Neq; enim aliter dei sentire conuenit sacerdotes, quorum pars est cæteros erudire. Sed Gallorum atque Venetensium fratrum relatione comperimus, nonnullos non hæresis studio; neque enim hoc tantum mali cadere in dei antistites potest; sed inscitia vel ex simplicitate quadam scæuis interpretationibus æstuantes, non satis dispicere, quæ magis patrum nostrorum sit tenenda sententia, cum diuersa consilia eorum auribus ingerantur. Denique Auxentium Mediolanensem hac præcipue causa damnatum esse perscribunt. Par est igitur vniuersos magistros legis per orbem Romanum paria de lege sentire, nec diuersis magisterijs fidem dominicam violare. Nam cum dudum hæreticorum virus, vt nunc iterum cæpit obrepere,

ac præcipue Arianorum blaſphemia, pullulare cæpiſſet, maiores noſtri CCCXVIII epiſcopi, atque ex vrbe ſanctiſſimi epiſcopi vrbis Romæ directi apud Nicæam confecto concilio hunc murum aduerſus arma diabolica ſtatuerunt, atque hoc antidoto mortalia pocula propulſarunt, vt patrem, filium, ſpiritumque ſanctum vnius deitatis, vnius virtutis, vnius figuræ, vniùs credere oporteret ſubſtantiæ; contra ſentientem alienum a noſtro conſortio iudicantes. Quam definitionem ſalutarem poſtea alijs tractatibus quidam peruertere & violare tentauerunt. Sed & in ipſo exordio ab iiſdem ipſis, qui hoc apud Ariminum retractare cogebantur, emendatum hactenus eſt, vt ſubreptum ſibi alia diſputatione faterentur, idcirco quod non intellexiſſent patrum ſententiam apud

Nicæam formatam esse contrarium. Neque enim præiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum conuenerunt: cum constet, neque Romanum episcopum, cuius ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vicentium, qui tot annos sacerdotium inlibate seruauit, neque alios huiusmodi statutis consensum aliquem commodasse: cum præsertim, vt diximus, iidem ipsi qui per impressionem succubuisse videbantur, iidem consilio meliore displicere sibi fuerint protestati. Vnde aduertit sinceritas vestra, hanc solam fidem, quæ apud Nicæam apostolorum auctoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam; hac nobiscum orientales, qui se catholicos recognoscunt, occidentalesque gloriari. Non longe autem fieri posse credimus, vt

qui secus sentiunt, licet hoc ipso conatu a nostra communione exui possint, plebesque eorum erroribus liberatæ respirent. Quemadmodum enim poterunt corrigere errata populorum, si ipsos error obsederit? Concinat ergo cum omnibus dei sacerdotibus & vestræ sententia caritatis: in qua vos fixos atque firmatos vt bene credimus, ita etiam nos vobiscum recte sentire debemus reciprocis sanctitatis vestræ litteris approbare.

EGO SABINVS diaconus Mediolanensis legatus de authentico dedi.

ITEM EX PARTE DECRETI.

Ea gratia, fratres, Hiericho illaquæ figura est sæcularium voluptatum, conclamata concidit, nec resurgit; quia omnes vno ore vnius virtutis, vnius maiestatis, vnius diuinitatis, vnius vsiæ dicimus diuinitatem; ita vt inseparabilem pote- Ios. 6, 20.

ſtatem, tres tamen aſſeramus eſſe perſonas, nec redire in ſe aut minui, vt plerique blaſphemant, ſed ſemper manere: nec potentiæ gradus quoſdam, ortusque tempora diſparata; nec prolatiuum, vt generationem ei demas; nec imperfectum, vt ad perſonam aut patris naturæ aut diuinitatis ei plenitudo defuerit; nec diſsimilem opere filium, nec diſsimilem poteſtate, aut per vniuerſa diſſimilem: nec ſubſiſtere aliunde, ſed de deo natum; nec falſum de deo vero, ſed deum verum de deo vero eſſe generatum, lumen verum de vero lumine; ne minutum aut diuerſum putetur, quod vnigenitus habet ſplendorem lucis æternæ: quia naturæ ordine neque ſine ſplendore lumen, neque ſplendor poteſt eſſe ſine lumine. Imaginem quoque patris; vt eum qui viderit, viderit & patrem. Eun-

dem redemptionis noſtræ gratia proceſsiſſe de virgine; vt perfectus homo pro perfecto qui peccauerat homine naſceretur. Ergo fratres aſſeramus dei filium & perfectum hominem ſuſcepiſſe. Spiritum quoque ſanctum increatum, atq; vnius maieſtatis, vnius vſiæ, vnius virtutis cum deo patre & domino noſtro Ieſu Chriſto fateamur. Neque enim creaturæ dignus iniuria eſt, qui emiſſus eſt vt crearet, ſicut propheta ſanctus adſtruxit dicens: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*: deinde alius item poſuit: *Spiritus diuinus qui fecit me*: qui in operatione ac peccatorum remiſsione connectitur. Hæc eſt, fratres dilectiſsimi, fides noſtra: quam quiſque ſequitur, noſter eſt particeps; diſcolor corpus, membra deformat. His nos communionem damus, quoniam in omnibus

Pſ. 103, 30.

Ioh. 30, 4.

sententiam probant. Absit vt fides pura varijs coloribus adsuatur. Illud præterea cauendum monemus, ne canonicus ordo in sacerdotum vel clericorum ordinationibus negligatur, aut præuaricatoribus eius impartiatur facile communio, vt de reliquis peccando incentiua tribuatur. Hæc igitur de nostro fuerant intimanda iudicio. Cæterum quod ad remouendas vestræ dilectionis spectat iniurias, nec frater noster Dorotheus presbyter explicare omnia viuaciter prætermittit, nec nixus nostri, vt ipse testis est, defuerunt.

ITEM EX PARTE DECRETI.

Illud sane miramur quod quidam inter nostros dicantur, qui licet de trinitate piam intelligentiam habere videantur, de sacramento tamen salutis nostræ ignorantes virtutes scripturasque, & re-

cta non sentiant. Adserunt enim dicere, dominum ac saluatorem nostrum ex Maria virgine imperfectum, id est, sine sensu hominem suscepisse. Heu quanta erit Arianorum in tali sensu vicinitas! Illi imperfectam diuinitatem in dei filio dicunt, isti imperfectam humanitatem in hominis filio mentiuntur. Quod si vtique imperfectus homo susceptus est, imperfectum dei munus est; imperfecta nostra salus, quia non est totus homo saluatus. Et vbi erit illud dictum domini: *Venit filius hominis saluare quod perierat*? totum, id est, in anima & in corpore, in sensu atque in tota substantia suæ naturæ. Si ergo totus homo perierat, necesse fuit, vt id quod perierat, saluaretur. Si autem sine sensu saluatus est, iam contra euangelii fidem inuenietur, non totum quod perie- Matt. 18, 11.

rat esse saluatum : cum alio loco
Ioan. 7. 23. ipse saluator dicat: *Irascimini mihi, quia totum hominem saluum feci*. Quid quod ipsius principalis delicti & totius perditionis summa in hominis sensu consistit. Primum enim sensus hominis eligendi boni malique si non periisset, non moreretur. Quomodo ergo præsumeretur in finem saluari minime debuisse, quod ante omnes peccasse cognoscitur ? Nos autem qui integros ac perfectos saluatos nos scimus, secundum catholicæ ecclesiæ professionem, perfectum deum perfectum suscepisse hominem profitemur. Quapropter date operam vt intelligentia sanæ doctrinæ etiã eorum sensus saluentur qui adhuc sensum saluatum esse non credunt.

ITEM EX PARTE DECRETI.

Non nobis quidquam suppetere facultatis, quatenus nobis nostra

opera vel paruum refrigerium poſſint afferre: licet magnum ex hoc beatiſſimi ſolatium capiatis, ſi integritatem fidei noſtræ noſcentes in vnum ſenſum nos congruere gloriemini, & ſatis atque abunde, vt conuenit, præſumatis, pro membris nos eſſe ſollicitos. Vt enim Nicæni concilii fidem inuiolabilem per omnia retinentes, ſine ſimulatione verborum aut ſenſu corrupto, nullomodo ſpiritum ſanctum ſeparamus; ſed perfectum in omnibus, virtute, honore, maieſtate, deitate, cum patre conueneramur & filio; ita etiam plenitudinem dei verbi non prolatiui ſed nati; neque in patre remanentis, vt non ſit, ſed ex æterno in æternum ſubſiſtentem, perfectum, id eſt integrum hominem adſumpſiſſe & ſaluaſſe confidimus.

EXPLICIT hæc epiſtola vel

EVLOGIVS episcopus Edessenus similiter credo & subscripsi.

BEMATIVS de Mallo ciuitate similiter credo & subscripsi.

DIODORVS episcopus de Tarso vt supra, & subscripsi.

Similiter & alii CXLVI orientales episcopi subscripserunt, quorum subscriptio in authenticum hodie in archiuis Romanæ ecclesiæ tenetur.

EXPLICIT SYNODVS ROMANA ET ANTIOCHENSIS.

Ad eandem synodum forte pertinet capitulum quod ex vetustissima canonum collectione bibliothecæ Vaticanæ subiungimus.

EX CONCILIO VRBIS ROMÆ SVB DAMASO PAPA de explanatione fidei.

DICTVM EST: Prius agendum est de spiritu septiformi qui in Christo requiscit. Spiritus
1. Cor. 1,24. sapientiæ: *Christus dei virtus & dei sapientia*: Spiritus intellectus:
Psal. 31, 8. *Intellectum dabo tibi, & instruam te in via qua ingredieris*. Spiritus
Isa. 9,6. consilii; *& vocabitur nomen eius magni consilii angelus*. Spiritus
Cror. 1. virtutis; vt supra dictum est, *Christus dei virtus & dei sapientia*. Spiritus scientiæ; propter eminentiam scientiæ Iesu Christi, vt ait
Eph. 3, 19. Ioan. 14, 6. apostolus. Spiritus veritatis: *Ego vita & veritas*. Spiritus timoris:
Ps. 110. 10. *Initium sapientiæ timor domini*.

Multiformis autem nominum Christi dispensatio est. Dominus, quia Christus: verbum, quia dei filius, quia vnigenitus ex patre:

homo, quia natus ex virgine; ſacerdos, quia ſe obtulit holocauſtum: paſtor, quia cuſtos: vermis, quia reſurrexit: mons, quia fortis: via, quia rectus per ipſum ingreſſus in vitam: agnus, quia paſſus: lapis angularis, quia inſtructio: magiſter, quia oſtenſor vitæ: ſol, quia illuminator: verus, quia a patre: vita, quia creator: panis, quia caro: Samaritanus, quia cuſtos & miſericors: Chriſtus, quia vnctus: Ieſus, quia ſaluator: Deus, quia ex deo: angelus, quia nuntius: ſponſus, quia mediator: vitis, quia ſanguine eius redempti ſumus: leo, quia rex: petra, quia firmamentum: fundamentum, quia firmamentum: flos, quia electus: propheta, quia futura reuelat. Spiritus enim ſanctus non eſt patris tantummodo aut filii tantummodo ſpiritus; ſed patris & filii ſpiritus.

1. Ioan. 2. 15. Scriptum est enim: *si quis dilexerit mundum, non est spiritus patris in illo.* Item scriptum est: *qui autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Nominato itaque patre & filio, intelligi intelligitur spiritus sanctus: de quo ipse filius in euangelio dicit: quia *Spiritus sanctus a patre procedit*; Et, *de meo accipiet & annunciabit vobis.*

Rom. 8. 9.

Ioan. 15. 26. & 16. 15.

EIVSDEM DAMASI EPISTOLA ad Paulinum Antiochenum.

DILECTISSIMO FRATRI Paulino DAMASVS.

PER ipsum filium meum Vitalem ad te scripta direxeram, tuæ voluntati & iudicio omnia derelinquens; & per Petronium presbyterum breuiter indicaueram me in articulo iam profectionis eius aliqua ex parte commotum. Vnde

ne aut tibi ſcrupulus reſideret, & volentes forſitan eccleſiæ copulari tua cautio probanda differret, fidem noſtram miſimus; non tam tibi, qui nobis eiuſdem fidei communione ſociaris, quam his qui in ea ſubſcribentes tibi, id eſt, nobis per te voluerint ſociari, dilectiſſime frater.

Poſt concilium itaque Nicænum, & quod in vrbe Roma concilium congregatum eſt a catholicis epiſcopis, addiderunt de ſpiritu ſancto: & quia poſtea hic error inoleuit, vt quidam ore ſacrilego auderent dicere, ſpiritum ſanctum factum eſſe per filium, anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant eum cum patre & filio vnius poteſtatis eſſe atque ſubſtantiæ. Anathematizamus quoque eos qui Sabellii ſequuntur errorem, eundem dicentes patrem eſſe quem & filium. Anathematizamus Ar-

rium atque Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili, filium & spiritum sanctum asserunt esse creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arrii stirpe venientes non perfidiam mutauere sed nomen. Anathematizamus Photinum, qui Ebionis hæresin instaurans, dominum Iesum Christum tantum ex Maria confitetur. Anathematizamus eos qui duos filios asserunt, vnum ante sæcula, & alterum post assumptionem carnis ex virgine. Anathematizamus eos qui pro hominis anima rationabili & intelligibili dicunt dei verbum in humana carne versatum; cum ipse filius sit verbum dei, & non pro anima rationabili & intelligibili in suo corpore fuerit; sed nostram, id est rationabilem & intelligibilem, sine peccato, animam susceperit atque saluauerit. Ana-

thematizamus eos qui verbum filium dei extensione aut collectione, & a patre separatum, insubstantiuum, & finem habiturum esse contendunt.

Eos quoque qui de ecclesiis ad ecclesias migrauerunt, tamdiu de communione nostra habemus alienos, quamdiu ad eas redierint ciuitates, in quibus primum sunt constituti. Quod si alius alio transmigrante in loco viuentis est ordinatus, tamdiu vacet sacerdotii dignitate qui suam deseruit ciuitatem, quamdiu successor eius quiescat in domino.

Si quis non dixerit, semper patrem, semper filium, semper spiritum sanctum fuisse & esse, anathema sit. Si quis non dixerit filium natum de patre, id est de substantia diuina ipsius, anathema sit. Si quis non dixerit, verbum domini filium

dei deum, ſicut deum patrem eius, & omnia poſſe, & omnia noſſe, & patri æqualem, anathema ſit. Si quis dixerit, quod in carne conſtitutus filius dei cum eſſet in terra, in cælis cum patre non erat, anathema ſit. Si quis dixerit quod in paſsione crucis dolorem ſuſtinebat filius dei deus, & non caro cum anima, quam induerat, forma ſerui quam ſibi acceperat, ſicut ait ſcriptura, anathema ſit. Si quis non dixerit, quod in carne quam aſſumpſit, ſedet ad dexteram patris, in qua venturus eſt iudicare viuos & mortuos, anathema ſit. Si quis non dixerit, ſpiritum ſanctum de patre eſſe vere ac proprie ſicut filius de diuina ſubſtantia, & deum verum, anathema ſit. Si quis non dixerit omnia poſſe ſpiritum ſanctum, omnia noſſe, & vbique eſſe ſicut filium & patrem, anathema ſit. Si quis di-

Phil. 2, 7.

xerit ſpiritum ſanctum facturam eſſe, aut per filium factum, anathema ſit. Si quis non dixerit omnia per filium & ſpiritum ſanctum patrem feciſſe, id eſt, viſibilia & inuiſibilia, anathema ſit. Si quis non dixerit, patris & filii & ſpiritus ſancti vnam diuinitatem, poteſtatem, maieſtatem, potentiam, vnam gloriam, dominationem, vnum regnum, atque vnam voluntatem ac veritatem, anathema ſit. Si quis tres perſonas non dixerit veras, patrem & filium & ſpiritum ſanctum æquales, ſemper viuentes, omnia continentes viſibilia & inuiſibilia, omnia potentes, omnia iudicantes, omnia viuificantes, omnia facientes, omnia quæ ſunt ſaluanda ſaluantes, anathema ſit. Si quis non dixerit ſpiritum ſanctum adorandum ab omni creatura, ſicut filium & patrem, anathema ſit. Si quis

de patre & filio bene ſenſerit, de ſpiritu autem ſancto non recte habuerit, hæreticus eſt: quia omnes hæretici de filio dei & ſpiritu ſancto male ſentientes in Iudæorum atque gentilium perfidia inueniuntur. Quod ſi quis partiatur diuinitatem, ſingillatim deum patrem dicens, & deum filium eius, & deum ſpiritum ſanctum deos dici, & non deum, propter vnam diuinitatem & potentiam, quam credimus & ſcimus, patris & filii & ſpiritus ſancti, deum verum, ſubtrahens autem filium & ſpiritum ſanctum, ita ſolum exiſtimet deum patrem dici aut credi vnum deum, anathema ſit. Nomen namque deorum & angelis & ſanctis omnibus a deo eſt impoſitum & donatum; de patre autem & filio & ſpiritu ſancto propter vnam & æqualem diuinitatem, non nomen deorum, ſed dei

nobis ostenditur atque indicatur vt credamus: quia in patre & filio & spiritu sancto solum baptizamur, non in archangelorum nominibus, aut angelorum, quomodo hæretici, aut Iudæi, aut etiam gentiles dementes faciunt. Hæc est ergo salus Christianorum, vt credentes trinitati, id est, patri & filio & spiritui sancto, & in eam baptizati, veram solamque diuinitatem, potentiam, maiestatem, & substantiam eiusdem sine dubio credamus. Quapropter, si supradictus filius meus Vitalis, & qui cum eo sunt, tibi voluerit aggregari, primum debent in ea expositione fidei subscribere, quæ apud Nicæam pia patrum voluntate firmata est. Deinde, quoniam nemo potest futuris vulneribus adhibere medicinam, ea hæresis eradicanda est, quæ postea in Oriente dicitur pullulasse: id

est, confitendus ipsa sapientia sermo, filius dei humanum suscepisse corpus, animam, sensum, id est, integrum Adam; & vt expressius dicam, totum veterem nostrum sine peccato hominem. Sicuti enim, confitentes eum humanum corpus suscepisse, non statim ei & humanas vitiorum adiungimus passiones; ita & dicentes eum suscepisse & hominis animam & sensum, non statim dicimus & cogitationum eum humanarum subiacuisse peccato. Si quis autem dixerit, verbum pro humano sensu in domini carne versatum, hunc catholica ecclesia anathematizat; nec non & eos, qui duos in saluatore filios confitentur, id est, alium ante incarnationem, & alium post assumptionem carnis ex virgine, & non eundem dei filium & ante & postea confitentur. Quicunque huic epi-

ſtolæ ſubſcribere voluerit, ita tamen vt in eccleſiaſticos canones, quos optime noſti, & in Nicænam fidem ante ſubſcripſerit, hunc habebis absque aliqua ambiguitate ſuſcipere. Non quod hæc ipſa, quæ nos ſcribimus, non potueris conuerſorum ſuſceptioni proponere; ſed quo tibi conſenſus noſter liberum in ſuſcipiendo tribuat exemplum.

EPISTOLA SIRICII PAPÆ.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS Anyſio & cæteris epiſcopis per Illyricum conſtitutis SIRICIVS.

ACCEPI litteras veſtras de Bonoſo epiſcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modeſtia noſtram ſententiam ſciſcitari voluiſtis. Sed cum huiuſmodi fuerit concilii Capuenſis iudicium, vt finitimi Bonoſo atque eius accuſatoribus iudi-

ces tribuerentur, & præcipue Macedones, qui cum episcopo Thessalonicensi de eius factis vel cognoscerent, aduertimus quod nobis iudicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie synodus, recte de iis quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit. Denique cum Bonosus episcopus post iudicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui eius sententiam consuleret, interdictam sibi ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modeste patienter ordine gerenda, neque

contra ſententiam veſtram tentandum aliquid, vt quod videretur vobis iuſtitiæ conuenire, ſtatueretis, quibus hanc ſynodus dederat auctoritatem. Ideo primum eſt vt ii iudicent, quibus iudicandi facultas eſt data. Vos enim totius, vt ſcripſimus, ſynodi vice decernitis; nos quaſi ex ſynodi auctoritate iudicare non conuenit. Sane non poſſumus negare de Mariæ filiis iure reprehenſum; meritoque veſtram ſanctitatem abhorruiſſe, quod ex eodem vtero virginali, ex quo ſecundum carnem Chriſtus natus eſt, alius partus effuſus ſit. Neque enim elegiſſet dominus Ieſus naſci per virginem, ſi eam iudicaſſet tam incontinentem fore, vt illud genitale dominici corporis, illam aulam regis æterni, concubitus humani ſemine coinquinaret. Qui enim hoc adſtruit, nihil aliud niſi perfi- Rom. 6.

diam Iudæorum adſtruit, qui dicunt cum non potuiſſe naſci ex virgine. Nam ſi hanc accipiant a ſacerdotibus auctoritatem, & videatur Maria partus fudiſſe plurimos, maiore ſtudio veritatem fidei expugnare contendent. Et vbi eſt illud quod ſcriptum eſt, dicente domino ad matrem de Ioanne euangeliſta:
Ioan. 19 *Mulier ecce filius tuus*: & rurſus ad Ioannem de Maria: *Ecce mater tua*? Quid ſibi iſtud vult, quod cum in cruce dominus poſitus peccatum mundi tolleret, pronuntiauit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, niſi vt claudat ſua ora perfidia, obmuteſcat, ne matrem domini aliquo audeat temerare conuicio? Teſtis eſt ergo idem arbiter, idem materni pudoris aſſer-
Matt. 1. tor, quod deſponſata fuerit viro tantummodo Ioſeph, nulla tamen coniugalis coitus conſuetudine tori

iura cognouerit. Neque enim eam ſuſcepturam ex Ioſeph filios a viri conſortio ſeparare voluiſſet. Sed ſi hoc parum eſt, addidit teſtimonium euangeliſta, dicens quod ſuſcepit eam diſcipulus in ſuam. Numquid ergo diuortium fecit? numquid a viro abduxit atque abſtulit? Ergo qui hoc legit in euangelio, quomodo quaſi naufragus titubat & fluctuat? Hoc ergo teſtamentum filii eſt de matris integritate; hæc Mariæ locuples integri pudoris hereditas; hic totius finis conſummationis. Denique hoc dixit, & emiſit ſpiritum, conſummans omne myſterium bono fine pietatis. Legimus etiam & omnia percurrimus vel de eo quod fratri noſtro & coëpiſcopo Baſſo in conſortium regendæ eccleſiæ datus eſt Senecio, vel de cæteris, vnde veſtræ normam expectamus ſententiæ.

EPISTOLA SIMPLICII PAPÆ ad Acacium Constantinopolitanum episcopum.

DILECTISSIMO FRATRI Acacio SIMPLICIVS.

LITERIS tuæ dilectionis, quas per filium nostrum Epiphanium diaconum probatæ fidei direxisti, ea quæ strictim religiosissimi viri filii nostri presbyteri, archimandritæ cum monachis vel ante scripserant, latius indicasti, & prolixo quidem volumine, sed sermone necessario retulisti; vt quid vel Constantinopoli, vel in aliis regionibus ab hæreticis gestum est disceremus: ac singula quæ contra ecclesiasticas regulas, & contra ipsam catholicam fidem vbicunque commissa sunt, ante nostros oculos collocasti; quatenus videatur quo etiam remedio subueniretur ecclesiis, quibus

vim sub occasione tyrannicæ dominationis, & per absentiam christianissimi principis pernicioſus latro & recidiuus inuasor Alexandrinæ ecclesiæ lapsus exiliis inrogauit. Vnde vnicum post deum, qui ecclesiam & rempublicam consolatione mirabili visitauit, etiamsi hoc fieri minime postulasses, clementissimi imperatoris auxilium duximus implorandum; vt pro omnibus quæ regno eius dominus tribuit, ne vlterius in orbe terrarum, quas subditas suo cognoscit imperio, ecclesiæ dei ab hæreticorum contagione & prauitate violentur, sed doctrinæ diabolicæ præceptione pietatis ipsius præstentur immunes. Vt ii qui sibi crediderint sacerdotale ministerium damnati hominis præsumptione conferri, promulgata imperiali constitutione etiam a conuentu hominum segregandi iu-

beantur excludi: quatenus his ſubmotis, atque in ſolitudinis perpetua relegatione damnatis, antiſtites catholici deceptis vel reddantur eccleſiis, vel creentur. In quo nec noſtræ preces apud religioſiſſimum principem, nec dilectionis tuæ ſuggeſtio, aut tantorum fratrum noſtrorum, quos adueniſſe Conſtantinopolim reperimus, imploratio ſacerdotum, aut ſupplicatio monachorum laborare poterit. Quin quicquid ad integritatem catholicæ fidei pertinet, in qua eccleſiarum eſt conſtituta ſecuritas, regreſſu pietatis ſuæ, domino ſe vbique proſequente omnium præueniens vota reſtituit. Et apud mentem chriſtianiſſimam facilis eſt impetrandi gratia, vbi religionis eſt cauſa. Sicut ergo litteris noſtris, ita tuæ dilectionis, vel omnium fratrum, qui ſe ad documenta fidei ſuæ

christianissimi principis præsentauere conspectui, suggestione repetendum est, vt Timotheus cum sequacibus suis ad irremeabile dirigatur exilium. Cum quo Paulus ab Ephesina ecclesia, & Petrus ab Antiochena ciuitate depulsus, atque omnes qui ab eo se, vel ab his quos illicite fecerat, æstimant episcopos ordinatos, eadem debent lege percelli. De Antonio autem, qui eorum, quos contra ecclesiam tyrannos miserat, antesignanus existens, sicut scriptum est, inimicus & defensor apparuit. Psal. 8. 3. De Ioanne quondam Constantinopolitano, qui ab hæreticis Apamenum sacerdotium, quod ei, qui presbyter aliunde fuerat, vel a catholicis sumere non licebat, se hæreticum publicauit, & quod in se perperam factum est improperium retorsit in auctorem; expellens ab Antiochia Petrum per-

uaſorem ipſius, eandem eccleſiam ipſe peruaſit, ſub anathemate a Chriſtianorum conſortio, vel ipſa appellatione remouemus: nec vnquam his ſatisfactionis patefaciendus eſt locus. Quia ſicut Iudas inter apoſtolos, ita iſti inter miniſtros dei ſubdola & diabolici ſpiritus fraude latuerunt. De Chriſtiani quoque populi fide & deuotione gaudentes, profectum eius & multiplicationem deo iugitur ſupplicantes expetimus: vt in timore atque amore domini perſeuerans, & numero augeri, & cæleſti mereatur protectione muniri. In quo maxime gloriamur, & deo noſtro gratulabimur complacere: quia paſtoralem reſpicit fructum, religioſi ouilis augmentum. Diu autem fratres & coëpiſcopos noſtros apud Conſtantinopolim non conuenit demorari: nunc præcipue, cum propter con-

cussionem persecutionis, quæ mota fuerat, sollicitæ atque attonitæ sunt in suprascriptis ecclesiis ciuitates: ne aliquis dubius rationis & trepidus mentis expectet noui aliquid post Chalcedonense concilium contra definitiones ipsius retractari: quia per vniuersum mundum insolubili obseruatione retinetur, quod a sacerdotum vniuersitate est constitutum, & sicut apparuit cælestis totiens vltionis assertione firmatum. Vnde diuino iudicio reluctatur quisquis eiusdem venerabilis definita concilii post tot diuinæ indignationis exempla non sequitur.

BONIFATII PAPÆ II EPISTOLA

qua Cæsarii Arelatensis rogatu synodi Arausicanæ decreta contra semipelagianos confirmat.

DILECTISSIMO FRATRI Cæsario BONIFATIVS.

PER filium nostrum Armenium presbyterum & abbatem literas tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos, vt apparet, insçius adhuc sacerdotii mihi commissi, sub ea qua in deo tenemur caritate direxeras: quibus credideras postulandum, vt id quod a beatæ recordationis decessore nostro papa Felice pro catholicæ fidei popoſceras firmitate, mea explicaretur instantia. Sed quia id voluntas superna disposuit, vt quod per nos ab illo speraueras, a nobis potius impetrares; petitioni tuæ, quam laudabili fidei sollicitu-

dine concepisti, catholicum non distulimus dare responsum. Indicas enim, quod aliqui episcopi Galliarum, cum cætera iam bona ex dei acquieuerint gratia prouenire, fidem tantum, qua in Christo credimus, naturæ esse dicant, non gratiæ; & hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc singulis misericordiæ diuinæ largitate conferri: postulans vt pro ambiguitate tollenda, confessionem vestram, quam vos e diuerso fidem rectam in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium, iuxta catholicam veritatem, per præuenientem dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate sedis apostolicæ firmaremus. Atque ideo, cum de hac re multi patres, & præ cæteris beatæ recordationis Augustinus episcopus, sed & maiores nostri

apostolicæ sedis antistites, ita ratione probentur disseruisse latissima, vt nulli vlterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia, supersedendum duximus responsione multiplici. Maxime cum secundum eas, quas ex apostolo direxisti sententias, quibus dicit: *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem*; & alibi: *Vobis datum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, verum etiam vt pro eo patiamini*; euidenter appareat fidem, qua in Christo credimus, sicut & omnia bona, singulis hominibus ex dono supernæ venire gratiæ, non ex humanæ potestate naturæ. Quod etiam fraternitatem tuam, habita conlatione cum quibusdam sacerdotibus Galliarum, iuxta fidem gaudemus sensisse catholicam: in his scilicet, in quibus vno, sicut indicasti, con-

1. Cor 7, 25.

Phil. 1, 29.

sensu definierunt, fidem, qua in Christo credimus gratia diuinitatis præueniente conferri : adiicientes etiam, nihil esse prorsus secundum deum boni, quod sine dei quis gratia aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possit; dicente ipso saluatore nostro: *Sine me nihil potestis facere.* Certum est enim atque catholicum quia in omnibus bonis, quorum caput est fides, nolentes nos adhuc misericordia diuina præueniat, vt velimus; insit nobis cum volumus; sequatur etiam vt in fine duremus; sicut Dauid propheta dicit: *Deus meus, misericordia eius præueniet me:* & iterum: *Misericordia mea cum ipso est.* & alibi: *Misericordia eius subsequitur me.* Similiter & beatus Paulus dicit: *Aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Ioan 15, 5.

Psal. 58, 11.

Psal. 88, 25.

Psal. 22, 6.

Rom. 11, 35.

Vnde nimis eos qui contra sentiunt admiramur, vsque eo vetusti erroris adhuc reliquiis prægrauari, vt ad Christum non credant dei beneficio, sed naturæ veniri; & ipsius naturæ bonum, quod Adæ peccato noscitur deprauatum, auctorem nostræ fidei dicant magis esse quam Christum; nec intelligant se dominicæ reclamare sententiæ dicenti: *Nemo venit ad me, nisi datum fuerit illi à patre meo*. Sed & beato Paulo simul obsistere clamanti ad Hebræos: *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum Christum*. Quæ cum ita sint, inuenire non possumus quid ad credendum in Christo sine dei gratia humanæ deputent voluntati, cum Christus auctor consummatorque sit fidei. Quapropter affectu congruo salutantes, suprascriptam con-

Ioan. 6. 44

Hebr. 12. 3.

feſſionem veſtram conſentaneam catholicis patrum regulis adprobamus. Illos autem, qui præcedente fide, ſecundo loco cætera, ſicut indicas, bona volunt gratiæ deputare, ſua profeſſione conſtringimus, vt multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adſcribere, præter quam nihil eſt boni, quod ſecundum deum quilibet valeat operari. Sicut beatus apoſtolus dicit: *Omne quod ex fide non eſt, peccatum eſt.* Rom. 14. 23. Quod cum ita ſit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, ſi ei fidem ſubtrahere moliuntur; aut ſi quod bonum eſſe dicunt de gratia, i pſa neceſſario fides erit gratiæ deputanda. Si enim nihil boni eſt ſine fide, fides autem ipſa venire negetur ex gratia, nullum, quod abſit, bonum erit gratiæ deputandum. Etenim omne bonum donum conſtat eſſe diuinum, ſicut ſcriptum eſt: *Omne* Iac. 1. 17.

datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Sed & ipsi fatentur, vt dicis, bona cætera donari per gratiam; ipsa autem bona per fidem subsistere non ambigunt vniuersa. Ipsa ergo necessario fides erit gratiæ deputanda, à qua bonum quod gratiæ tribuunt, separare non possunt. His itaque breuiter assignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quam a quodam tibi mandasti sacerdote transmitiam, respondendum non duximus; quia speramus de misericordia diuina, quod ita per ministerium tuæ fraternitatis atque doctrinam in omnium, quos dissentire mandasti, dignabitur cordibus operari, vt ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex diuina credant gratia proficisci; cum se

sensérint id iam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum est enim: *Præparatur voluntas a domino*. Et alibi: *Scio quia non possum esse continens, nisi deus dederit: & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset donum*. Deus te incolumen custodiat, frater carissime.

Prou. 19. iuxta 70

Sap. 8, 21.

DATA VIII. Calend. Februarias, Lampadio & Oreste vv. cc. Coss.

GELASII PAPÆ EPISTOLÆ ex collectione canonum CARD. DEVSDEDIT.

GELASIVS Cælestino episcopo, inter cætera.

IN ecclesia beati martyris Eleutherii, quæ in Histoniensium ciuitatis parochia probatur esse constructa, Iulianum diaconum, si nil

l. 1. c. 141

in eo est quod contra canonum veniat instituta, presbyteri honore decorabis: sciturus eum visitatoris te nomine, non cardinalis creasse pontificis.

IDEM Sabino episcopo.

QVARTVM Defensorem diaconum sibimet consecrari populus Grumentinæ ciuitatis exposcit. Hunc ergo, si nil est quod eius personæ possit opponi, diaconii prouectione decorabis: vt nouerit tamen dilectio tua hoc se delegantibus nobis exequi visitatoris officio, non potestate proprii sacerdotis.

GELASIVS Quinigesio & Constantino episcopis, inter cætera.

FELIX & Petrus ecclesiæ Nolanæ clerici contumaciter & contra constitutum rebelles ad comita- 1.4.c.56

mitatum filii mei regis putauerunt esse properandum ; dicentes sibi vim fuisse generatam, tacito clericatus officio : & auctoritate promerita contra ciuilitatem redemptis sibi barbaris suprascriptum episcopum suum grauibus iniuriis & dispendiis affecerunt. Proinde necessarium fuit vt ad eumdem dominum filium meum supradictus frater noster Serenus episcopus conuolaret, ostensaque fraude secundum beatitudinem temporum suorum vir præcellentissimus filius meus Theodoricus rex ad nostrum contumaces clericos remisit examen.

GELASIVS Victori episcopo.

DVDVM de sanctæ Agathæ basilica, quæ in Caclano fundo olim noscitur constituta, processionem sub nostra consultatione su- lib. 3, c. 95.

ſpenderas, aſſerens poſſeſſionis dominum omnia quæ illi conferebantur accipere, & ſuis vſibus applicare; nec illic poſſe miniſtrorum dei aliquos ad proceſſionem venire, cum nulla illic alimenta ſuſciperent. Sed nuper vir ſpectabilis Petrus noſter nobis rationabiliter intimauit, hoc quod in culpam venerat ſe taliter ordinaſſe, vt vniuerſa quæ in eccleſia ſupradicta diuerſorum fuerint oblatione collata, ad epiſcopum, aut ad eum cui baſilicam deputauerit, vniuerſa pertineant: ita vt ex hoc compendio ſarta tecta eccleſiæ procurentur. Et ideo frater ſaluberrimæ diſpoſitionis profeſſione ſuſcepta, proceſſionem ſupradictæ eccleſiæ te conuenit ordinare.

GELASIVS Reſpecto & Leonino epiſcopis.

IOANNES archidiaconus Falerio- ibi.c.96.
nenſis vrbis euerſionem eccleſiæ ab eo qui præſulis nomine cenſetur effectam grandi nobis ſupplicatione conqueſtus eſt; ita vt ſe videlicet de loci ſui adminiſtratione deiecto, iter ſibi liberum ad depopulandas facultates aperiret eccleſiæ. Nam miniſteriis & ornatu pro ſua voluntate diſtracto, prædium etiam paternum, quod in alimoniam clericorum deceſſor eius reliquerat, velut proprium ſuis vtilitatibus vindicauit: obuiantemque ſupradictum archidiaconum, cæteroſque complures, qui pariter reclamabant, ab ordinibus ſuis credidit excludendos. Et ideo, fratres cariſsimi, diuinitatis intuitu eccleſiæ cauſam ſumma attentione tru-

tinantes, omni veritate discussa, de compertis cita nostris auribus relatione signate; vt perspecta instructione diligentiæ vestræ quid fieri debeat censeamus.

GELASIVS Iusto & Stephano episcopis.

ib. c. 97. FRATER & coëpiscopus noster Proficuus Salpinæ sacerdos ecclesiæ petitorii nobis insinuatione suggessit, Brumarium spectabilem virum, cum nullis extantibus causis seruum ecclesiæ grauissima cæde mactasset, tunc etiam ad augendam violentiæ suæ peruicaciam supradictum antistitem grauissimis contumeliis affecisse. Et ideo, fratres carissimi, si a vobis admonitus ad iudicium vestrum inquisitionemque conuenerit, veritate discussa vnde tantus superbiæ spiritus aut violentiæ conceptio fluxerit, quid-

ue fuerit quod pontifex tanta lacerataretur insolentia, nostris auribus relatione signate. Aut si forte simili præsumptione contempserit, potestatem sibi supradictus pontifex nouerit esse concessam, quatenus apud iudicem prouinciæ atrocium iniuriarum quærat propositione vindictam.

GELASIVS Maiorico, Sereno, & Ioanni episcopis.

QVI & humanis legibus inciuili temeritate calcatis, & reuerentia religionis abiecta, vel ecclesiastica priuilegia calcare contendunt, vel vbilibet in pauperum prosilire dispendium, nec huiusmodi saltem commoniti conuictique, nequitiam sopire consentiunt, atque illata sacris rebus detrimenta sarcire, merito diuini muneris sunt participatione priuandi: vt huius ib. c. 98. XII. q. 2, 24.

perceptione careant, quod sacrilegis ausibus habuere despectui. Quapropter Dionysij, qui sicut vestræ textus relationis ostendit, non solum Vibonensis ecclesiæ iura turbare, sed etiam repensare, quod nequiter admiserant, respuerunt, sacræ communionis arceantur accessu, donec quæ honori diuino competunt discant deuota mente deferre. Contra quos etiam quidquid publicis legibus agi poterit, minime negligatur. Vt qui vtrumque tempserunt vtrisque cohibiti, tam sibi, quam cæteris præbeant quod necessaria disciplina poscit exemplum. Cælestinus vero presbyter fratris & coëpiscopi nostri Sereni, qui contra pontificale iudicium, contraque apostolicæ sedis mandata prorumpens supradictis communionem sacram ministrare præsumpsit; cum non potuerit ignorare sententiam

proprii sacerdotis, ab officio protinus ecclesiastico pellatur: vt nullus ecclesiæ ministrorum contra pontificalia instituta venire contendat.

GELASIVS Ioanni episcopo Pisano.

ECCLESIASTICA ministeria, quæ vnicuique basilicæ fidelium deuotio deputauit, ad aliam ecclesiam nullo debent surripiente transferri. Et ideo, si huius iuris portitoris petitio veritate subsistit, calicem quem decessor tuus abstulit, ecclesiæ cuius fuit restitue sine intermissione. ib. c. 99.

GELASIVS Natali episcopo.

Ex Ansel. l. VI. cap. 39.

QVIA per ambitiones illicitas non pudet quosdam ecclesiarum iura turbare, ac priuilegia, quæ metropolitanis vel prouincia- Adde dist. 64, 6.

libus episcopis decreuit antiquitas, temeraria præsumptione peruadere; propter quod etiam communionis apostolicæ desiderant tenere discidium, quo scilicet ab eius auctoritate diuisi velut impune proprias vsurpationes exerceant: non respicientes quod æterno iudici rationem tam de catholicæ sinceritatis iniuria, quam de traditionum præiudicio paternarum non sine perpetuæ sint damnationis interitu reddituri. Si in hac obstinatione permanserint, caritatem tuam diximus instruendam, nos pariter ad metropolitanos vestræ prouinciæ, siue cuiusquam contiguæ, quæ catholicam seruant vnitatem, magnopere delegasse, vt obeuntes episcopos in eadem regione metropolitanus suus debeat ordinare: eundemque ipsum metropolitanum, si humana morte transierit, non nisi compro-

uinciales episcopi iuxta formam veterem studeant ordinare ; quatenus quæ veneranda decreuit antiquitas nullus sibimet contra fas vsurpare contendat.

GELASIVS Clero ordin & plebi Brendesii.

Vnde supra cap. 46.

CONCESSO vobis quem petistis antistite fratre iam & coëpisco meo Iuliano, necessarium fuit eodem ad ecclesiam suam mox remisso, ad vos nostra scripta pariter destinare ; quibus agnoscetis eidem fuisse præceptum, ne vmquam ordinationes præsumat illicitas. Ne bigamum, & qui virginem non est sortitus vxorem, atque illiteratum vel obnoxium, aut in aliqua parte corporis debilem, notatumque modis omnibus ad sacros ordines permittat accedere. Quod etiam de- xii.q.2. 26.

peregrinis atque incognitis vel expetentibus cauere debebit: quia huiusmodi a venerabilibus prohibentur officiis, ac nihil ex ministeriis atque ornatu, postremo de quacunque re quam constat ad ecclesiam pertinere, audeat in alterum qualibet ratione transferre. Reditus & oblationes fidelium in quatuor partes diuidat, quarum sibi vnam ipse retineat; alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam, quartam pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam, quarum rationem diuino est redditurus examini. Sacris quoque ordinibus applicandos hac obseruatione promoueat, vt ieiunio quarti, septimi, & decimi mensis vespere sabbati presbyteros atque diaconos ordinandos esse cognoscat. Venerabilis etiam baptismi sacramentum nisi in

festiuitate paschali & pentecostes tradere non præsumat, exceptis ægritudine laborantibus.

PELAGII PAPAE I EPISTOLÆ

PELAGIVS IOANNI PATRICIO CABVRTARIO.

inter cætera.

PVDENDA, vt ita dicam, rapina in diuisione est non consecratus, sed execratus episcopus. Si enim ipsum nomen consecrationis rationabili ac viuaci intellectu discutimus, is qui cum vniuersali detrectat consecrari ecclesia, consecratus dici vel esse nulla ratione poterit. Consecrare enim est simul sacrare. Sed ab ecclesiæ visceribus diuisus, & ab apostolicis sedibus separatus execrat ipse potius, & non consecrat. Iure ergo execratus tan- XXIV. q. 1. 33.

tum, non consecratus poterit dici, quem simul sacrare in vnitate coniunctis membris non agnoscit ecclesia. Videamus tamen vtrum vel ipsarum consuetudinem partium in sua ordinatione conseruauerint. Nempe is mos antiquus fuit, vt quia pro longinquitate vel difficultate itineris ab apostolico oneroſum illis fuerat ordinari, ipsi se inuicem Mediolanensis & Aquileiensis ordinare episcopi debuissent: ita tamen vt in ea ciuitate, in qua erat ordinandus episcopus, alterius ciuitatis pontifex occurrere debuisset; vt & ordinandi electio a præsenti ordinatore, ex consensu vniuersalis, cui præficiendus erat ecclesiæ, melius ac facilius potuisset agnosci; & in sua qui ad episcopatum prouehendus erat, nec tamen ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur ecclesia. Noli catho-

licam ſemper mentem aliqua ſchiſmaticorum communione polluere. Vnum Chriſti corpus, vnam conſtat eſſe eccleſiam. Diuiſum ab vnitate altare veritatem Chriſti corporis non poteſt congregare. Toleranda ſunt in compage corporis poſitorum etiam illa nonnunquam vitia quæ pro vnitate interdum parcentes reſecare non poſſumus. Quia & euangelicum agricolam, minus afferentem fructum palmitem, ſi tamen in vite maneat, purgare poſſe noſter ſaluator edocuit. abſciſſum autem a vite palmitem niſi igni ad comburendum aptum eſſe non poſſe, eiuſdem cæleſtis magiſtri veritate didicimus. Noli ergo eorum qui igni apti ſunt, non conſecrationi, ſed execrationibus conſentire. Nec exiſtimes illos vel eſſe vel dici eccleſiam poſſe. Etenim cum, ſicut diximus, eccleſia

Ioann. 15, 2.

ibid

vna sit, cui in canticis canticorum
Ca. 6. dicitur: *Vna est columba mea*: nullam aliam esse constat nisi quæ in apostolica est radice fundata: a quibus ipsam fidem in vniuerso propagatam orbe non potest dubitari. Quod vobis licet notissimum omnino sit, beati tamen Augustini testimonio comprobemus. Audite quid in quodam opere suo præclarissimus doctor dicat ecclesiæ. ait enim: *Quod si nullo modo recte dici potest ecclesia, in qua schisma est; restat vt quoniam ecclesia nulla esse non potest, ea sit quam in sedis apostolicæ per successiones episcoporum radice constitutam nullorum hominum malitia, etiamsi nota excludi non possit, sed pro ratione temporis toleranda iudicetur, vllo modo valeat extinguere.*

IDEM PELAGIVS Viatori & Pancratio illustribus, inter cætera.

A Schismaticorum sacrificiis, potius autem sacrilegiis abstinere debetis. Schisma si quidem ipsum, quod græcum nomen est, sciſſuram sonat. Sed in vnitate sciſſura esse non potest. Non ergo vnitati communicant, qui schismaticis communicant. Partes sibi ipsi fecerunt, & ab eo quod vnum est, vt apostoli Iudæ iam verbis loquar, *semetipsos segregantes, spiritum non habent*. Quibus omnibus illud efficitur, vt quia in vnitate vnum non sunt, vt quia in parte esse voluerunt, vt quia spiritum non habent corporis Christi, sacrificium habere non possint. Non autem nobis nunc illa quæstio est, vtrum tolerare malos, sed vtrum

XXII.q. 1.34.

Epist. Iudæ v. 19.

debeamus ſchiſmaticis ſociari. Si enim etiam ipſi, licet in ſuo ſenſu abundantes, intra materna tamen poſiti viſcera, quærerent veritatem, a nobis repellendi non erant, donec apud eos ratione duce rei veritas claruiſſet. Sed quia ſe ab vniuerſali eccleſia diuiſerunt, ſicut beatus Auguſtinus ait, omnis catholicus ſecurus eam partem deteſtatur, cui eccleſiam vniuerſalem apoſtolicis ſedibus roboratam non communicare cognoſcit. Nec enim leuigat crimen eorum, magis vero auget, quod eos diu reſtitiſſe dixiſtis, ne apoſtolicis communicantes ſedibus in ſua communione reciperent. In hoc enim dum & illi culpandi ſunt, qui communicare talibus voluerunt, multo magis tamen illi execrandi ſunt, qui non ſolum in ſacerdotibus communionem apoſtolicarum ſedium, verum etiam

in

in ipsis laicis spreuerunt. Sed nec illud eis prodest quod eos in eisdem litteris vel ignorantia rationis, vel simplicitate intellectus sui à nostra se communione suspendisse perhibetis. Idipsum enim magis est, propter quod schismatici sunt: quia non eos diuersa sentiendi iudicium, sed quædam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra apostolicam sedem temere credentes pessima diuisit opinio. Quod schisma specialiter esse beatus denunciat Augustinus dicens de talibus: *Qui aduersum aũctoritatem illarum ecclesiarum, quæ apostolicas sedes & epistolas accipere meruerunt, temere credit, immanissimum schismatis crimen a se propulsare non poterit.* Ad summam, aut illos ecclesiam esse creditis, & cum duæ ecclesiæ esse non possint, nos, quod absit, schismaticos iudi-

cabitis: aut si veram in apostolicis sedibus esse constat ecclesiam; & illos ab vnitate diuisos cognoscite, & communionis quæstionem esse sublatam, quam veram nisi in vnitate constat esse non posse. Noli ergo, quasi nulla schismaticorum atque ecclesiæ differentia sit, velle indifferenter vtrorumque sacrificiis sociari. Non est Christi corpus, quod schismaticus conficrt, si veritate duce dirigimur. Nec enim diuisum esse Christum poterit quisquam sine apostoli reprobatione confingere. Vnam, vt sæpe dictum est, quæ Christi corpus est, constat esse ecclesiam; quæ in duo, vel in plura diuidi non potest. Simul enim cum ab ea quisque recesserit, esse desistit ecclesia. Vnum Hierusalem templum est: idolis necesse est vt immolet, qui semetipsum diuiserit.

1. Cor. 1, 13.

IDEM PELAGIVS Valeriano patricio, inter cætera.

ISTVD est quod a vobis popoſcimus, & nunc iterum poſtulamus, vt Paulinum Aquileienſem pſeudoepiſcopum, & illum Mediolanenſem epiſcopum ad clementiſſimum principem ſub digna cuſtodia dirigatis, vt & iſte qui epiſcopus eſſe nullatenus poteſt, quia contra omnem canonicam conſuetudinem factus eſt, alios vltra non perdat; & ille qui contra morem antiquum eum ordinare præſumpſit, debitæ canonibus vindictæ ſubiaceat. Sed nec licuit aliquando nec licebit particularem ſynodum ad diiudicandum generalem ſynodum congregari. Sed quotiens aliqua de vniuerſali ſynodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo

quod non intelligunt rationem, aut sponte hi qui salutem animæ suæ desiderant ad apostolicas sedes pro recipienda ratione conueniant. aut si forte, sicut de talibus dictum
Prou. 18, 3. est, *peccator cum venerit in profundum malorum contemnit*, ita obstinati & contumaces extiterint, vt doceri non velint, eos ab eisdem apostolicis sedibus aut attrahi ad salutem quoquomodo necesse est, aut ne aliorum perditio esse possint secundum canones per sæculares
xxiii. q. 5. 42. opprimi potestates. Nec in hac parte vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia persecutionem ecclesia faciat, dum vel ea quæ committuntur reprimit, vel animarum salutem requirit. Errant huiusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum iam punit, vel prohibet

ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si, vt illi putant, nemo nec reprimendus a malo, nec retrahendus a malo ad bonum est, humanas & diuinas leges necesse est euacuari; quæ & malis pœnam & bonis præmia iustitia suadente constituunt. Malum autem schisma esse, & per exteras etiam potestates huiusmodi homines debere opprimi, & canonicæ scripturæ auctoritas, & paternarum regularum nos veritas docet. Quisquis ergo ab apostolicis diuisus est sedibus, in schismate eum esse non dubium est, & contra vniuersalem ecclesiam altare conatur erigere. Sed quid de talibus insertus Calcedonensi synodo canon statuat, gloria vestra consideret, vbi post alia sic dicit: Qui a communione se ipsum suspendit, & collectam facit, & altare constituit, & noluerit vocanti episcopo Act. IV. canon Ant. 5.

consentire, & noluerit eidem acquiescere; neque obedire primo & secundo vocanti, hunc omnino damnari, nec vnquam vel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Si enim permanserit turbas faciens, & seditiones ecclesiæ, per exteram potestatem tanquam seditiosum comprimi. Et beatus Augustinus de talibus dicit; *Multa etiam cum inuitis benigna, quadam asperitate plectendis agenda sunt; quorum potius Vtilitati consulendum est, quam Voluntati. Nam in corripiendo filio quantumuis aspere, nunquam paternus amor amittitur: fit tamen quod nollet, Vt doleat, qui etiam inuitus Videtur dolore sanandus.* Ecce videtis quemadmodum tanti testimonio patris non persequatur coërcendo talia, sed diligat emendando tales semper ecclesia. Facite ergo etiam vos,

quod ſcientes intentionem̄ chriſtianitatis veſtræ frequenter hortamur; & date operam vt talia fieri vltra non liceat: ſed etiam, quod vobis facillimum eſſe non dubito, hi qui talia præſumpſerunt ad piiſſimmu principem ſub digna cuſtodia dirigantur. Recolere enim debet celſitudo veſtra, quid per vos deus fecerit tempore illo quo Iſtriam & Venetias tyranno Totila poſſidente, Francis etiam cuncta vaſtantibus, non ante tamen Mediolanenſem epiſcopum fieri permiſiſtis, niſi ad clementiſſimum principem exinde retuliſſetis; & quid fieri debuiſſet, eius iterum ſcriptis recognouiſſetis, & inter vbique feruentes hoſtes, Rauennam tamen, & is qui ordinabatur, & is qui ordinaturus erat, prouidentia culminis veſtri deducti ſunt.

PELAGIVS Cethego Patricio.

QVOD de ordinando ecclesiæ Catanensis episcopo salubris electione iudicii fieri desideraſtis agnouimus; confestim sequenti die eum iuxta morem discutientes, tertio quo venit die episcopum consecrare curauimus. Simili quidem modo & de Syracusanæ vrbis antistite optaueramus in ipso initio gloriæ vestræ desideriis obedire, nisi nos multiplex ratio ipsius non paucis temporibus ordinationem differre sacerdotii coëgisset; ob hoc quod vel personæ qualitas, sicut & vos melius nostis, vel superstes vxor, aut filii per quos ecclesiastica solet periclitari substantia, nostros animos diutius ab eius ordinatione suspenderent. Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro pene anno distulimus; opinantes

Dist. 28. c. 13.

quod melius Syracusanorum prouenire electio potuisset. Sed quia in voluntatis suæ proposito irreuocabiliter perstiterunt, & nullus est alius in eadem repertus ecclesia, nisi longioribus adhuc temporum differretur spatiis, ne paulo amplius insanirent, sicut filii nostri magnifici viri prætoris testificatione didicimus, inter huiusmodi ambiguitates illud consultius iudicauimus faciendum, vt congrua prouidentia causam, propter quam principalis constitutio habentes filios & vxores ad episcopatus prohibet ordinem promouere, salua dispositione concilii muniremus. Qua de re summo studio ab eodem priusquam a nobis eum contingeret ordinari, huiusmodi exegimus cautionem, per quam & suam fateretur quantula esset præsentis temporis habita rerum descriptione substantiam, &

nihil vnquam per se, aut per filios, aut vxorem, siue per quamlibet propinquam, aut domesticam, vel extraneam forte personam, de rebus vsurparet ecclesiæ; & vniuersa sui episcopatus quæsita tempore ecclesiæ dominio sociaret; nihil vltra id, quod modo descriptum est, filiis suis vel hæredibus relicturus.

PELAGIVS Eleutherio episcopo.

C. Deusd. l. 3. c. 105.

MAXIMVS diaconus ecclesiæ dilectionis tuæ nobis suggessit, in fundo qui appellatur Pancellus oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honore beatæ Cantianæ martyris desiderat consecrare. Et ideo, frater carissime, si in tua dioceſi memorata constructio iure consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum, percepta prius donatione legitima vel possessione illa & illa, præstantes

liberos a fiscalibus titulis solidos tot, gestisque municipalibus allegatis, prædictum oratorium absque missis publicis solemniter consecrabis; ita tamen vt in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec presbyterum constituas cardinalem: sed quotiens missas ibi fieri forte maluerit, a dilectione tua presbyterum nouerit postulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote vllatenus præsumatur.

PELAGIVS Asterio episcopo.

VINDIMIVS abbas petitorii nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis, iuxta muros ciuitatis Salernitanæ intra monasterium suum oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honore beatorum martyrum Chrysanthi & Dariæ desiderat consecrari. Et Ib. c. 108

ideo, si nullum corpus ibidem constat humatum; prædictum monasterium absque missis consecrabis; ita tamen vt si fundator prædictus missas ibidem fieri forte maluerit, a dilectione tua presbyterum nouerit postulandum.

PELAGIVS Viuentio Neapolitano, Gemino Puteolano, & Constantio Misenati episcopis, post cætera.

ib. c. 112. ET ideo caritati vestræ præsentium decretorum tenore mandamus, vt exequente Constantino sedis nostræ defensore, clerum vel ciues ecclesiæ Parien sis; & e diuerso ecclesiæ Vulturninæ, vel Vici Feniculensis ad vestrum faciatis cõuenire iudicium, & ex scripto sententiam coram partibus deferatis; antedicto sedis nostræ defensore modis omnibus exequente, vt quæ

ſtatuta fuerint effectui mancipentur.

PELAGIVS Benegeſto defenſori, poſt pauca.

PROPTER quod experientiæ tuæ præſenti auctoritate mandamus, vt quibus in cauſis quælibet eccleſiaſtici officii perſona loco petitoris exiſtit quendam laicum pulſatura, apud prouinciæ iudicem ſuas proponere non deſinat actiones. In his vero negotiis, in quibus eccleſiaſtici officii perſona pulſatur, totius ſummoto pulſationis obſtaculo ad epiſcopi vel epiſcoporum in loco vbi quæſtio vertitur conſtitutorum occurrat indifferenter examen; nullis cauſæ dictionem fruſtrationibus declinando: quatenus omne negotii meritum de ſola veritate ſua, ſolisque legibus diſceptatum, celeri proueniente Ib. c. iij xi. q. i.

sententia terminetur. Annitente quoque executione tua, vt quæ statui contigerint, effectui mancipentur: nulla ad nos de cuiusquam ecclesiastici pulsati contumacia deinceps querimonia reditura, per quam non solum contumaces excessus, verum tua quoque negligentia sit plectenda.

PELAGIVS Ioanni comiti patrimonii, post cætera.

Ibi, c. 14 GLORIA igitur vestra secundum bonitatis consuetum morem, filio nostro Luminoso presbytero solatia in præfato itinere, quibus tute ad destinatum locum peruenire valeat, subministret. Sed & commendare eum dignemini illic hominibus vestris, vt etiam ibi vestris fultus auxiliis, iniuncti sibi negotii facilius possit terminum recipere.

PELAGIVS Anilani comiti, post pauca.

PETRVM filium noſtrum apoſtolicæ ſedis presbyterum ad corrigenda ea quæ in quæſtionem veniunt duximus dirigendum; faciliorem omnium cauſarum futurum eſſe iudicantes exitum, ſi illum ab apoſtolica contigiſſet publice ſede tranſmitti, qui & pro rei merito, & pro caritatis vinculo poteſtatis publicæ iuuaretur auxiliis. Sic enim & canonum & legum ſtatuta nos admonent; vt & doceantur humiles, & ſuperborum ſpiritus comprimantur. Quia nonnunquam mentibus deſperatis & doctrina ſine poteſtate contemnitur, & dominantis vim habere creditur poteſtas ſine ratione doctrinæ. Huic autem, vt poſſint ea quæ iuſſa ſunt

Ib. c. 115 adde XXIII. q. 5. 44.

facilius domino adiuuante compleri, Proiectum notarium sedis nostræ adiungendum esse credidimus, vt participato consilio, quæ rationabilia sunt exequi non morentur. Salutantes igitur paternæ caritatis alloquio, vt prædictis in omnibus quæ vel ad ecclesiasticam vnitatem, vel ad correptionem excessuum pertinent, feratis auxilium postulamus.

PELAGIVS Elpidio Catanensi episcopo, inter cætera.

lib c.iii6 SICVT vnumquemque clericorum tuorum ecclesiasticis vtilitatibus vel dispositionibus dilectionis tuæ pro eadem ecclesia vsque ad iustitiæ legumque rationem procedentibus fideliter obedire prospexeris, ita dilectionis tuæ effectu continuas secundum fidem diligentiam-

tiamque ſuam vniuſcuiusque merita proſequendo.

PELAGIVS Laurentio epiſcopo Centumcellenſi.

PRINCIPALI deuotiſſimorum militum, qui illic in ciuitate Centumcellenſi conſiſtunt, relatione ad nos directa ſacram inſinuant ſe clementiſſimi principis impetraſſe, quæ eis presbyterum, diaconum, & ſubdiaconum fieri debere præcepit. Ideo hortamur dilectionem tuam, vt perſonas ipſas videas, & diligenter inquiras, ne aliquid contra canones commiſiſſent: & ſi eos inculpabiles repereris, & vitæ ipſorum laudabile teſtimonium videris, veniente mediana ſeptimana paſchæ, ſi dominus voluerit, & ſi vixerimus, vnumquemque per officia, quæ prædiximus, promouere non differas. Caueat ſibi presbyter ille Dist. 63. c. 15.

nunquam se sine nostri & tui nominis recitatione sacra mysteria celebrare.

BONIFATII PAPÆ IV DECRETVM SYNODALE

promulgatum in concilio Romano III. Kal. Martias anno Christi DCX.

Ex concilio S. BONIFATII PAPAE qui quartus fuit a beato Gregorio.

Quomodo liceat monachis cum sacerdotali officio vbi vbi ministrare.

xvi.q.i. c.25. SVNT nonnulli sulti nullo dogmate, audaciſſime quidem, zelo magis amaritudinis quam dilectione inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt, & deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos; neque pœnitentiam, neque christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotali officio diuinitus iniunctam potestatem. Sed omnino labuntur. Nam si ex hac causa ve-

teres æmuli vera prædicarent, apostolicæ compar sedis beatissimus Gregorius monachico cultu pollens ad summum nullatenus apicem conscenderet. Quoniam quidem hæc ostiatim fungendi, ligandi, soluendique potestas a deo summa conceditur. Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorii discipulus Anglorum prædicator egregius, ac Pannonienſis Martinus beatisimus, cuius sanctitatis fama longe lateque diffusa totus personat mundus; alii quoque iam plurimi sanctisimi pretiosissimo monachorum habitu fulgentes nequaquam annulo pontificali subarrarentur, si quia monachi fuerunt prædictis vti prohiberentur. Neque enim Benedictus monachorum præceptor almificus huiuscemodi rei aliquo modo fuit interdictor; sed eos sæcularinm negotio-

rum edixit expertes fore ſolummodo. Quod quidem apoſtolicis documentis, & omnium ſanctorum patrum inſtitutis non ſolum monachis, verum etiam canonicis maximopere imperatur. *Nemo enim militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* 2. Tim. 2. 1. Vtrisque etiam præfatorum patrum exemplis perſpicacibus circumquaque vt mundo mortui ſint euidentiſsima ratione præcipitur. Tantorum igitur patrum inſtituti exemplis, quibus periculoſiſsimum eſt refragari, credimus a ſacerdotibus monachis ligandi ſoluendique officium Deo imperante haud indigne adminiſtrari, ſi eos digne contigerit ad hoc miniſterium ſublimari. Quod incunctanter affirmat, quisquis ſtatum monachorum & habitum potentatumque euidenter conſiderat. Verbi gratia: Angelus græce, latine

nuntius dicitur. Sacerdotes igitur monachi atque canonici, qui quotidie ſancta Dei præcepta annunciant, angeli vocantnr, ratione non incongrua. Sed vnuſquisque angelicus ordo quanto claritate Dei vicinius contemplatur, tanto dignitate ſublimior affirmatur. Nam vti cherubim, monachi ſex alis velantur. Duæ quidem in capitio quo caput tegitur veriſimilibus demonſtrantur aſſertionibus. Illud vero tunicæ quod brachiis extenditur, alas duas eſſe dicimus: & illud tandem quo conditur corpus, ſex alarum numerum certiſſime implere aſſeritur. Decertantes igitur monachicæ profeſſionis presbyteros ſacerdotalis potentiæ arcere officio, omnimodo præcipimus, vt ab huiuſcemodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum, quia quanto quisque celſior, tanto potentior.

EIVSDEM BONIFATII IV. Epistola ex eodem concilio data ad Athelbertum regem Anglorum.

DOMINO EXCELLENTISSIMO atque præcellentissimo regi Anglorum Athelberto BONIFATIVS episcopus seruus seruorum Dei.

DVM christianitatis vestræ integritas ita circa conditoris sui cultum excreuerit, vt longe lateque resplendeat, & in omni mundo annuntiata, vestræ deo dignæ operationis augmenta referat; enormes largitori omnium bonorum deo grates exsoluimus, qui vos de excelso prospexit, & in tanto virtutum culmine erexit. Quapropter glorioſe fili, quod ab apostolica sede per coëpiscopum nostrum Mellitum postulastis, libenti animo concedimus: idest, vt vestra benignitas in monasterio in Doro-

uernensi ciuitate constituto, quod sanctus doctor vester Augustinus, beatæ memoriæ Gregorii discipulus, sancti Saluatoris nomini consecrauit, cui ad præsens præesse dignoscitnr dilectissimus frater noster Laurentius, licenter per omnia monachorum regulariter viuentium habitationem statuat. Apostolica auctoritate decernentes, vt ipsi vestræ salutis prædicatores monachi, monachorum gregem sibi associent, & eorum vitam sanctam tum moribus exornent. Quæ omnia decreta si quis successorum vestrorum regum, siue episcoporum, clericorum, siue laicorum irrita facere tentauerit, a principe apostolorum Petro, & a cunctis successoribus suis anathematis vinculo subiaceat, quo adusque quod temerario ausu peregit, deo placita satisfactione pœniteat, & huius in-

quietudinis veram emendationem faciat. In Christo valeas domine fili.

HONORII PP. EPISTOLÆ ex collectione canonum CARD. DEVSDEDIT.

EX REGISTRO HONORII PP.

HONORIVS Ioanni, Andreæ, Stephano, & Donato episcopis per Epirum constitutis.

1.3.c.183 PRAESENTIVM latores iuxta ecclesiasticam disciplinam pallium nos Hypatio Nicopolitanæ ecclesiæ diacono, quem in sacris ordinibus episcopum ordinastis, petierunt votis supplicibus dirigendum. Et quia eius persona pendula nos dubietate sollicitat, ne fortassis in nece Soterici præfatæ ciuitatis antistitis videatur esse commixta, præsentium portitoribus quantum opinamur visi sumus reddidisse respon-

sum; vt assumpto fatigio, cum præsertim tempora pacis patiantur, in has Romanas partes venire deproperet; vt iusiurandum in confessione beati Petri apostoli præbeat, quod nullo dolo vel machinatione à se constructa, aut aliis hæc machinantibus præbuit in his quoquo modo consensum: vt ab omni vitio dubietatis exempto possimus secundum ecclesiasticum ordinem tribuere quod rogamur. Nam dum prædictus Sotericus de quibusdam capitulis fuisset suspectus, in hanc vrbem deueniens ad beatum Petrum apostolorum principem de conscientiæ suæ puritate præbuit nihilominus iusiurandum. Data Idus Decembres, Indictione XIV.

HONORIVS Sergio subdiacono.

Ib.c.139 POST parui temporis spatium quædam nobis sunt capita aduersus Caralitanæ ciuitatis archiepiscopum vel eius clericos nuntiata; pro quibus exequendis, atque canonica discretione in hac Romana ciuitate ventilandis non solum præfatæ ciuitatis episcopum emissa præceptione, sed etiam eius clericos, de quibus referebatur aliqua commisisse, præcepimus euocare. Et quia antefatus quidem episcopus, secundum quod ei iussum fuerat, in hanc ciuitatem venire curauit; eius vero clerici proprio reatu conuicti venire timentes, visi sunt à sacra communione priuari, & anathematis vinculo innodari. Et post hæc misso Barbato defensore regionario sanctæ nostræ ecclesiæ ad eandem ciuitatem Caralitanam,

vt prædictos clericos debuisset deducere, actum est vt Theodorus quidam peruersus præses eiusdem Sardiniæ diabolica intentione arreptus venire eos iam naui impositos prohibuit, & violenter ablatos in Africanam prouinciam destinauit. Scripsimus itaque filio nostro Georgio præfecto tale tantumque facinus Theodoro eiusdem insulæ præsidi iubere corrigere, & ipsas personas nostræ iurisdictioni suppositas nobis in hanc ciuitatem Romanam dirigere. Propterea experientia tua eidem eminentissimo præfecto imminendum deproperet, vt tanti viri facinus vlciscendum studeat, & eas nobis personas dirigere non omittat: sciens quia non solum hi qui crimine tenentur obnoxii a sacra sunt communione priuati, anathematis pœna mulctati, sed etiam hi qui cum eis vi-

dentur coniuncti. Exemplar vero ſacræ Theodoſii & Valentiniani tuæ experientiæ curauimus deſtinandum, & eidem emenentiſsimo præfecto per tuam experientiam dirigendum: cuius ſeries non ſolum eius eminentiam, verum etiam omnes omnino qui a ſedis apoſtolicæ ditione exorbitare contendunt, nihilominus informare poſſit. Quẽadmodum ſereniſſimi principes hactenus omnes innouauerunt cuncta priuilegia ſedis apoſtolicæ, & quæ olim eidem ſunt conceſſa ipſa lectione poterunt approbari. Nam de domini dei noſtri miſericordia confidimus, quod iura vel priuilegia beati Petri curabimus expetere, atque immutilata intentione quæſita atque impertita defendere. Tua ergo experientia eiusdem ſacræ tenore attentius relegendo ſuffulta, non ſolum eminentiſſimo præfe-

cto, sed etiam aliis hæc eadem insinuare non differat. Nobis autem de his omnibus, sicut diuinus fauor impunxerit, cura erit ac sollicitudo iuxta tramitem æquitatis sine dubio deliberare, atque vtilius fine canonico terminare. Data IV. Idus Iunias, Indictione XV.

IOANNIS PAPÆ IV epistola ad Isaac Syracusanum episcopum,

Vt monachis suarum ecclesiarum sacerdotes instituere liceat.

IONNES Papa Isaac Syracusano episcopo.

VISIS litteris caritatis vestræ, quibus satis perpenditur quanto studio huic sanctæ sedi reuerentiam exhibetis, non modice gauisi sumus. Nunc itaque super ea quæ consuluistis, vt carissimo fratri benigne consilium damus. Dele-

gauit enim nobis pia manſuetudo veſtra, vtrum eccleſiæ pro quiete monachorum a ſanctis catholicisque epiſcopis eis traditæ per ſacerdotes ab eis ordinatos & inueſtitos debeant inſtitui. Addidit quoque fraternitas tua litem & ſeditionem inter clericos & monachos ex hac cauſa non modicam eſſe ortam. quod inſtigatione verſuti hoſtis eſſe factum nemo ambigat, habet enim mille nocendi modos, nec ignoramus aſtutias eius. Conatur namque à principio ruinæ ſuæ vnitatem eccleſiæ reſcindere, caritatem vulnerare, ſanctorum operum dulcedinem felle inuidiæ inficere. Dolet enim ſatis & erubeſcit, caritatem, quam in cœlo nequiuit habere, homines conſtantes ex lutea materia in terra tenere. Vnde oportet, quantum fragilitati noſtræ conceditur, vt omnis aditus nocen-

di eius versutiæ diligentissime muniamus, ne mors ingrediatur portas nostras. Consilio itaque multorum fratrum diligentissime exquisito decreuimus, vt amodo ecclesiæ monachis traditæ per suos sacerdotes instituantur. Diuinæ enim leges habent & sæculares, vt cuius est possessio, eius fiat institutio. Et si in dando quod maius est, facilis fuit caritas, sit facilior in concedendo quod minus est, sancta largitas. Maius enim fuit possessionem dare, quam sit vestituram concedere. Quomodo autem possessoris iura cognoscentur, & suorum sibi tributa reddentur, vbi quod suum est per alterum datur, & cum voluerit aufertur? Humani moris est illum vereri, cuius iudicio & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur. Vnde fit vt qui in parte sunt episcopis ad seruien-

dum procliuior ſacerdos fiat; & ſic epiſcopus qui ſancte & religioſe dederat, quadam ſimulata auctoritate ad ſe retrahat. Sic itaque priuatur mercede quam conſecuturus fuerat: tum quia ficta caritate aufert quod dederat, tum quia prauorum ſacerdotum diſcordias & ſciſſuras amantium, lites & diſſenſiones inter epiſcopos ſeminantium verbis nimis factus credulus quod prius fucate moliebatur lucrari, poſt detecta fraude conatur quadam vſurpatione ex toto auferre. Quorum aduertentes calliditatem & hoſtis verſuti ſuaſiones, deinceps omnino licentiam monachis damus ſuarum eccleſiarum inueſtitores fieri: ita tamen vt iudicio ſynodi, ſi contra ſacerdotium agere præſumpſerint, mulctentur, & felici mucrone epiſcopi ſacerdotum piacula reſecentur.

STE-

STEPHANI PAPÆ IV DECRETVM SYNODALE EX concilio Lateranenſi anno Chriſti DCCLXIX contra ſedis apoſtolicæ inuaſores, & iconomachos habito.

Ex Anſelmo lib. VI. cap. XXIV. & ſeqq.

ANASTASIVS Bibliothecarius in vita STEPHANI PP. IV.

IN exordio ordinationis ſuæ direxit in Franciæ partes ad excellentes viros Pippinum, Carolum & Carolomannum reges Francorum & patricios Romanorum Sergium ſecundicerium & nomenclatorem, deprecans atq; exhortans vt aliquantos epiſcopos gnaros, & in omnibus diuinis ſcrtpturis atq; ſacrorum canonum inſtitutionibus eruditos ac peritiſsimos dirigerent, ad faciendum in hac Romana vrbe concilium pro eadem impia noui erroris ac temeritatis præſumptione, quam Conſtantinus apoſtolicæ ſedis peruaſor auſus eſt perpetrare. Dirigentes autem ipſi Chriſtianiſsimi reges duodecim epiſcopos ex eiſdem Francorum regionibus: eiſque in hanc Romanam vrbem coniungentibus menſe

Aprilis Indict. VII. *protinus antedictus Stephanus sanctissimus Papa aggregans diuersos episcopos Tusciæ atque Campaniæ, & aliquantos istius Italiæ prouinciæ. Quibus omnibus congregatis concilium peractum est in basilica Saluatoris D. N. Iesu Christi iuxta Lateranense palatium. Et præsidente eodem beatissimo Papa, considentibus etiam pariter cum eo eisdem omnibus episcopis, deductus est in medium Constantinus apostolicæ sedis inuasor &c. Tunc allatis sacratissimis canonibus, eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem sacerdotali concilio sub anathematis interdicto, ne vllus vnquam laicorum, neq; ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbyter cardinalis factus fuerit, ad sacrum pontificatus honorem possit promoueri. Et alia plura quæ canonica indigebant correctione in eodem concilio statuerunt emendanda.* MOX.

Hæc vero omnia promulgata, continuo & diuersa sanctorum patrum testimonia de sacris imaginibus in eodem allata sunt concilio, & subtilius cuncta perindagantes statuerunt magno honoris affectu ab omnibus Christianis ipsas sacras venerari imagines. &c.

C. BARONIVS tomo IX. an. DCCLXIX.

EX SYNODO ROMANA STEPHANI PAPÆ IV

IN ACTIONE III.

De electione & consecratione Pontificis.

HESTERNO die prolata est sententia, quemadmodum Constantinus apostolicæ sedis inuasor sub pœnitentiæ correptione subsistere debeat.

ITEM INFRA. Oportebat vt hæc sacrosancta domina nostra Romana ecclesia, iuxta quod a beato Petro & eius successoribus institutum est, rite ordinaretur; & in apostolatus culmen vnus de cardinalibus presbyteris aut diaconibus consecraretur. Dist. 79 c. 3.

ITEM. Sed & hoc sub anathematis interdictionibus decernimus, vt nulli vnquam laicorum, siue ex

manu armata, vel ex aliis ordinibus præsumant inueniri in electione pontificis: sed a certis sacerdotibus atque proceribus ecclesiæ & cuncto clero ipsa pontificalis electio proueniat. Et priusquam pontifex electus fuerit & in patriarchium deductus, omnes optimates militiæ, vel cunctus exercitus & ciues honesti, atque vniuersa generalitas populi huius Romanæ vrbis ad salutandum eum sicut omnium dominum properare debeat. Et ita more solito decretum facientes, & in eo cuncti pariter concordantes subscribere debent. Hoc itaque & in aliis ecclesiis sub diuini iudicii obtestatione & anathematis interdictione decernimus obseruandum.

De castris autem Tusciæ vel Campaniæ vel de aliis locis nullus audeat Romam ingredi, nec a quopiam inuitentur, aut infra ciuitatem

introducantur. Sed nec quiſquam ex ſeruis tam cleri quamque militiæ in eadem electione inueniatur; nec vllus penitus cum armis & fuſtibus.

EX ACTIONE IV.

De Veneratione ſacrarum imaginum.

SI ad ſanctorum conſortium venire optamus; profecto hic omnia in honore ſanctorum, ſiue reliquias non ſolum corporum ſed & veſtimentorum, ſiue baſilicas nominibus eorum memoratas, ſeu etiam imagines & vultus illorum in quolibet loco depictos celeberrimo honore venerari debemus.

ITEM. Pauendum eſt ne ſub iconum occaſione ad peiora ſeſe ſtatus malæ aſſertionis erigat, & corpora ſanctorum & reliquias martyrum

adorari tanquam membra domini ac venerari prohibeat.

ITEM. Interrogatio Antiochi ad sanctum Athanasium. Quomodo vos facitis imagines, & adoratis eas? Responsio. Non sicut Deos imagines adoramus nos fideles, absit, sicut pagani: sed tantummodo affectum & caritatem animæ nostræ ad vultum faciei imaginis aptamus. Vnde & multotiens vultu deleto sicut lignum purum atque commune iam, quod dudum fuerat imago, comburimus.

ITEM. Crucem pro crucifixo in ea Christo adoramus & amplectimur fideliter.

ITEM. Si quis sanctas imagines domini nostri Iesu Christi, & eius genetricis, atque omnium sanctorum secundum sanctorum patrum statuta venerari noluerit, anathema sit.

L. *canones apostolorum tantum suscipiendos.*

ITEM. Non amplius suscipiantur apostolorum canonum prolata per sanctum Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ suscipit sancta Dei catholica Romana ecclesia.

Statuta contra vim & ambitum.

ITEM. Si quis ex episcopis vel presbyteris vel monachis, aut ex laicis contra canonum & sanctorum patrum statuta prorumpens in gradum maiorum sanctæ Romanæ ecclesiæ, id est, presbyterorum, cardinalium, & diaconum ire præsumpserit; & hanc apostolicam sedem inuadere quilibet ex supradictis tentauerit, & ad summum pontificalem honorem ascendere voluerit; ipsi & sibi fauentibus fiat perpetuum anathema. Dist. 79 c. 5.

ITEM. Si quis cum armis in electione pontificis vel aliorum sacerdotum inuentus fuerit, anathema sit.

ITEM. Si quis iuuare aut introducere in hanc ciuitatem Romæ præsumpserit quemquam de quacunque ciuitate aut castro vel loco pontificis prius discessum, quousque in sede beati Petri pontifex ordinatus fuerit, anathema sit.

ITEM. Si quis resistere præsumpserit sacerdotibus atque primatibus ecclesiæ vel cuncto clero ad eligendum sibi pontificem, secundum hanc canonicam traditionem, anathema sit.

Sequentia duo capitula statutorum huius concilii refert Anastasius bibliothecarius in vita eiusdem Stephani PP. IV.

De episcopis vero atque presbyteris & diaconibus, quos ipse Constantinus consecrauerat, ita in eodem concilio promulgatum est: vt episcopi illi, si aliquis eorum prius presbyteri aut diacones fuerint, in pristinum honoris sui gradum reuerterentur: & si placibiles fuissent coram populo ciuitatis suæ, denuo facto decreto electionis more solito cum clero & plebe ad apostolicam veniissent sedem, & ab eodem sanctissimo Stephano Papa benedictionis suscepissent consecrationem. Presbyteri vero illi ac diaconi ab eodem Constantino consecrati simili modo in eo quo prius existebant habitu reuerterentur. Et postmodum si qui eorum placibiles extitissent, antefatus beatissimus pontifex presbyteros eos aut diaconos consecrasset. Statuentes vt hi qui ex eis consecraturi erant, ne-

quaquam ad fortiorem honorem ascenderent: scilicet ne ad pontificatus promouerentur culmen, ne talis impius nouitatis error in ecclesia Dei pullularet.

De laicis vero qui ab eodem Constantino presbyteri aut diaconi consecrati sunt, ita promulgatum est, vt in religioso habitu cunctis diebus vitæ eorum siue in propriis domibus, vel vbi voluissent, permanere deberent.

Stephano pp. alia duo capitula adscribit Gratianus: quorum prius ex Anastasii pontificali desumptum; alterum vero alicui ex successoribus potius tribuendum videtur.

Dist. 79 c. 4. Nullus vnquam laicorum neque ex alio ordine præsumat nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbyter factus fuerit cardinalis, ad sacrum pontificatus honorem promoueri.

Quia ſancta Romana eccleſia, cui auctore Deo præſidemus, a pluribus patitur violentias pontifice obeunte; quæ ob hoc inferuntur, quia absque imperiali notitia pontificis fit conſecratio; nec canonico ritu & conſuetudine ab imperatore directi interſunt nuntii, qui ſcandala fieri vetent: volumus, vt cum inſtituendus eſt pontifex, conuenientibus epiſcopis & vniuerſo clero eligatur præſente ſenatu & populo, qui ordinandus eſt; & ſic ab omnibus electus præſentibus legatis imperialibus conſecretur. Nullusque ſine periculo ſui iuramenta vel promiſſiones aliquas noua adinuentione audeat extorquere, niſi quæ antiqua exigit conſuetudo; ne vel eccleſia ſcandalizetur, & imperialis honorificentia minuatur. Dist. 63 c. 28.

DIONYSII EXIGVI ABBATIS EPISTOLA AD Iulianum presbyterum tituli S. Anastasiæ,

Qua illi epistolas decretales summorum Pontificum dedicat.

DOMINO VENERABILI MIHI Iuliano presbytero tituli sanctæ Anastasiæ DIONYSIVS EXIGVVS.

SANCTITATIS vestræ piis excitatus studiis, quibus nihil prorsus eorum quæ ad ecclesiasticam disciplinam pertinent omittit inquirere, præteritorum sedis apostolicæ præsulum constituta qua valui cura diligentiaque collegi; & in quendam redigens ordinem titulis distinxi compositis: ita dumtaxat, vt singulorum pontificum quotquot a me præcepta reperta sunt, sub vna numerorum serie termina-

rem, omnesque titulos huic præfationi subnecterem, eo modo quo dudum de Græco sermone patrum transferens canones ordinaram. Quod vobis nimium placuisse cognoueram, qui vero sinceriſſimo affectu Deum diligitis, & idcirco famulos eius laudanda sollicitudine continetis. Quis enim perigrinantium seruiens Christo vestro non foueatur hospitio? Iustum credidi vobis in hac parte famulari: quatenus industriam vestram, quam cælestibus impenditis regulis, & præsens imitetur ætas, & posteritas admiretur. Nam præ virtutis amore cuncta quæ sunt vtilia desideratis agnoscere, licet omnem venerandi iuris obseruantiam moribus impleatis. Quantique sit apud Deum meriti beatus Papa Gelasius & nos qui eum præsentia corporali non vidimus, per vos alumnos eius fa-

cilius æstimamus: cuius eruditione formati gradum presbyteri sanctæ conuersatione decoratis; vt in vestrorum morum perspicuo munere eius quodammodo videatur actio prælucere. Quem, sicuti vestra relatione comperimus, tantum bonæ voluntatis extitisse gratulamur, vt annuente Domino principatum in ecclesia pro multorum salute suscipiens, eum seruiēdo potius quam dominando sustolleret, vitæque castimoniam doctrinæ meritis ampliaret. Denique omne opus eius aut oratio fuisse memoratur, aut lectio. Interdum quoque scribendi curam sumebat, prout causa vel ratio poposciſſet, seruorumque Dei maxime consortio atque societate gaudebat: quorum spiritali collatione tanto diuini amoris studio, tanta verbi Dei meditatione fruebatur, vt huic etiam quod Psalmista

cecinit aptaretur: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum; Vt mitiges eum a diebus malis.* Huius enim sæculi malos dies ita domino mitigante atque gubernante transegit, vt vniuersas tentationes mira prudentia & longanimitate sufferret, delicias ieiuniis sperneret, superbiam humilitate calcaret, tanta misericordia animi alacritate clarescceret, vt omnes fere pauperes satians inops ipse moreretur. Profecto beatus hac inopia, per quam diuinis semper inherebat: sicut Propheta dicit ad Dominum: *Pauper & inops laudabunt nomen tuum.* Fuit enim vir ingenio luculentus, vita præcipuus, auctoritate reuerendus; & ideo tot virtutum ornatus insignibus, ad tam celsum officium non accessit indignus; honorem summæ dignitatis graue nimis onus

Ps. 93, 14.

Ps. 73, 21.

existimans, paruamque negligentiam pontificis ingens animarum discrimen esse contestans. Idcirco nullo se desidioso otio tradidit, nec luxurioso conuiuio effusoque seruiuit: ex quibus rebus & animarum morbi nascuntur & corporum. Hic itaque pastor summi atque boni pastoris imitator existens, egregius præsul sedis apostolicæ fuit, qui diuina præcepta fecit & docuit. Vnde eum magnum inter sanctos esse confidimus, iuxta promissionem Christi domini dicentis: *Qui fecerit & docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum.*

Mat. 5. 19.

EXPLICIT.

COLLECTIONIS
VETERVM ECCLESIÆ
ROMANAE
MONVMENTORVM
PARS SECVNDA.

COLLECTIONIS
VETERUM ECCLESIÆ
ROMANÆ
MONUMENTORUM
PARS SECUNDA.

COLLECTIONIS
Veterum Ecclesiæ
ROMANAE
monumentorum
PARS SECVNDA,
in qua continentur

Synodus *Romana sub Eugenio II. pag. 7. ad 47. ex Bibliotheca Barberina.*

Synodus *Romana sub Leone IV. pag. 48. ad 136. Ex eadem.*

Synodus *Romana sub Adriano in causa Anastasii pag. 137. ad 146.*

Synodus *Rauennatensis sub Ioanne* VIII. *pag. 147. ad 168.*

Synodus *Placentina sub Vrbano* II. *pag. 169. ad 176.*

Caroli Magni *Capitulatio de partibus Saxoniæ pag. 177.*

Eiusdem Epistola ad Leonem III. *Papam. pag. 194.*

Lo-

Lotharij *Imperatoris Constitutiones*. pag. 208.
Theodorici *Præceptum, siue Lex*. pag. 212.
Ottonis I. & Henrici I. *Constitutio*. pag. 214. *ex Bibliotheca Barberina*.
Fulconis *Comitis Andegauensis Libelli fragmentum*. 222

DE SYNODIS EVGENII II. ET LEONIS IV

Veterum aliquot testimonia.

HINCMARVS REMENSIS epistola Caroli II. Imperatoris nomine scripta ad Ioannem VIII. PP. de iudicijs & appellationibus Episcoporum & presbyterorum,

CAP. II.

IN diebus domini & genitoris nostri piæ memoriæ Hludouuici Imperatoris cum ipsa tepescì executio aliquatenus cœpit, apud Papam Eugenium inde ab eo cõmonitio facta est. qua de re Synodum isdem vniuersalis Papa conuocans, inter alia generalia decreta promulgare curauit; quæ Leo IV tempore fratris nostri Hlotharij, & nepotis nostri Hludouuici obseruandæ decreuit, sicut in gestis synodalibus, & in huius sanctæ Romanæ ecclesiæ archiuo haberi credimus, & ab hac sancta sede nostris decessoribus directa venerabili sanctione habemus.

IBIDEM CAP. XXIII.

TAndem hinc præter antiquas regularum ac legum constitutiones in promptu habemus Synodalia capitula Apostolicorum Eugenij, anno Imperij XIII domni & genitoris nostri Hludouuici, & anno X. imperij Hlotharij fratris nostri mense Nouembrio; atq; Leonis IV, anno Hlotharij XXXVI. & Hludouuici nepotis nostri anno V, mense Decembrio decreta; quibus præcipiunt, vt si quispiam sacerdotum, id est, Episcopus, presbyter, diaconus, vel etiam subdiaconus de quacunque femina, &c. vt cap. XVI. Et item. Sacerdos etenim aut quiuis alius in ordinem ecclesiasticum prouectus, vt cap. XV.

ANASTASIVS S.R.E. bibliothecarius in vita LEONIS IV.

INter hæc vero quæ superius scripta sunt cœpit crebro nominatus sanctissimus præsul de singulis ecclesiarum rectoribus, videlicet, Episcopis, presbyteris, diaconibus, atq; omni Christianorum militia curam sollicitudinemq; habere præcipuam. Volens itaq;, sicut & factum est, ex prisci-

auctoritatibus nouam Christo iuuante normam proponere, qualiter vnusquisq; eorum vitam castam & sobriam duceret, & Deo, cui semper irreprehensibiliter famulatum debemus impendere, in omnibus complaceret; tunc demum sancti ei Spiritus gratia reuelante, vna cum consilio serenissimorum Hlotharij & Hludouici Imperatorum, anno Imperij eorum quinto, & trigesimo septimo; atq; pontificatus iam dicti præsulis septimo, mense Decembris, die VIII, *Indictione* II, *sanctam ac venerandam in ecclesia beati Petri Apostoli Synodum congregauit: in qua tam ipse catholicus & Apostolicus vir, quamq; & alij cum eo LXVII episcopi resederunt. Ex quibus quatuor episcopi ab Imperatoribus destinati, Ioseph Eporegensis, Nottingus Brixiensis, Petrus Spoletinus, & alius Petrus Arretinus. Inter quos etiam Paulus diaconus sanctæ Rauennatis ecclesiæ residens, vicem tenens Ioannis Archiepiscopi sui; absq; presbyteris & diaconibus, & clero sanctæ matris Ecclesiæ. Et tunc coram omnibus quadraginta & duo capitula, quæ profecto ad salutem & lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur, per diacones sanctæ & vniuersalis Ec-*

cleſia ſedis legi præcepit. Quæ etiam capitula, vt in futurum ab omnibus illibata ſeruentur, poſt cætera decreta Pontificum in ſanctis canonibus iuſſit adſcribi: quatenus omnes epiſcopi huius auctoritatis exẽplum ante oculos habentes, & ſuos poſſint melius inſtruere & erudire ſubiectos.

In hac denique poſt cætera ſynodo Anaſtaſius presbyter Cardinalis tituli beati Marcelli ab omnibus canonice eſt depoſitus: eo quod parochiam ſuam per annos quinque contra canonum inſtituta deſeruit, & in aliena vſq; hodie demoratur. Qui cum neque ad duo pro eo congregata concilia venire vellet, neq; per Apoſtolicas epiſtolas, neq; per tres vocatus epiſcopos, Nicolaum videlicet, Petronacium, & Ioannem; ideo merito vno conſenſu, ſecundum quod de talibus ſacris continetur canonibus, eum ſancta Synodus depoſuit, & ſacerdotali honore priuauit, anno, menſe, die, & indictione ſuperius adnotata.

* Hic locus Anaſtaſij citatur lib. III. Decretal. de cler. non reſid. cap. Ex geſtis. & 9 in 1. Collect. tit. eod. cap. Ex geſtis Romanorum Pontificum.

ANSELMVS LVCENSIS EPISC.
In collectione Canonum MSta,
lib. VII. sub finem.

EX *Synodo habita Romæ a B.EVGENIO PP. Vbi clerici consistere debeant, vt Canone* VII.
Necessaria etenim res existit, &c.
Sic etiam eodem libro VII. *cap.* 2. *citat Canonem* XXXIIII.

IVO CARNVTENSIS EPISCOPVS
Decreti parte XI. cap. 76.

NE *Sacerdos inanibus ludis delectetur. Ex Synodo Eugenij Papæ tempore Ludouici & Lotharij Augustorum.*
Sacerdos ludos aliquos coram se &c.

CARD. BARONIVS DE SYNODO *EVGENII PP.II agit ad annum Christi* DCCCXXVI. *num.* I. *& sequent. Annalium ecclesiasticorum tomo* IX.
De Synodo autem LEONIS IV. ad annum DCCCLIII. *num.*32. *& sequentibus, Annalium tomo* X.

ANT. AVGVSTINVS *Archiepiſcopus Tarraconenſis lib. 11. de emend. Gratiani. dialogo* 1. Alia exempla ſumamus ex duabus Romanis ſynodis non editis EVGENII II, & LEONIS IV. Coniunguntur autem in veteri libro, quod magna ex parte eiſdem verbis ſcripta ſint.

IN-

INCIPIT

CONCILIVM ROMANVM

EVGENII PP. II.

IN NOMINE DOMINI DEI SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI. Imperante domino nostro pijssimo Aug. Hlodouuico a Deo coronato magno Imperatore anno XIII. & regni eius an. XIII. sed & Hlothario nouo Imperatore eius filio anno X. Indictione IV. mensis Nouembris die XV. EVGENIVS sanctissimus ac ter beatissimus & vniuersalis Papa cum vniuersis Episcopis, videlicet: Petronacio Archiep. Rauennate,

Leopardo Epiſ. Foroſempronіate,
Paſſiuo Ep. Bleranæ,
Romoaldo Ep. Anagniæ,
Lamperto Ep. Arretino,
Ioanne Ep. Siluæ candidæ,
Stephano Ep. Portuenſe,
Benedicto Ep. Albanenſe,
Cæſario Ep. Oſtienſe,
Georgio Ep. Gauinenſe,
Gregorio Ep. Bellitris,
Conſtantino Ep. Præneſtæ,
Romano Ep. Cerenſe,
Grauſolpho Ep. Fæſulenſe,
Paulino Ep. Senogallienſe,
Guriperto Ep. Populonienſe,
Perteo Ep. Senenſe,
Valerino Ep. Sutrienſe,
Stephano Ep. Ariminenſe,
Germano Ep. Auximano,
Paſſiuo Ep. Callienſe,
Stephano Ep. Ortenſe,
Andrea Ep. Cluſenſe,
Stabili Ep. Caſtello Felicitatis,

Valiperto Ep. Orbiuetis,
Baſtiano Ep. Suanenſe,
Alifredo Ep. Balneo regis,
Paulo Ep. Tribenſe,
Petro Ep. Centumcellenſe,
Agatho Ep. Monte Feretris,
Agatho Ep. Polimartienſe,
Maio Ep. Aſſiſienſe,
Liutardo Ep. Nucerienſe,
Petro Ep. Lucano,
Petroaldo Ep. Lunenſe,
Aliprando Ep. Florentino,
Lamprando Ep. Piſtoriæ,
Theodorico Ep. Peruſino,
Donato Ep. Gallenſe,
Godemundo Ep. Tuſcanenſe,
Rauperto Ep. Roſſellenſe,
Tigrino Ep. Anconitano,
Agriperto Ep. Faneſtrenſe,
Ioanne Ep. Piſano,
Benenato Ep. Eugubienſe,
Lupo Ep. Firmenſe,
Petro Ep. Bolaterrenſe,

Sebastiano Ep. Burense,
Dominico Ep. Pisaurense,
Ioanne Ep. Esinate,
Leonino Ep. Tribus tabernis
Gratioso Ep. Nepesinæ,
Ioanne Ep. Tudertinæ,
Eleutherio Ep. Priuernate,
Benedicto Ep. Amerinæ,
Theodosio Ep. Manturanense
Hadriano Ep. Falaritanæ,
Samuele Ep. Sabinense,
Hadriano Ep. Signino,
Cosma Ep. Humanæ,
Mauriano Ep. Vrbinate,
Bala Ep. Potentinæ.

Atque cum venerabilibus presbyteris, [quorum nomina hæc sunt:]

Ioannes Archipresbyter,
Domnus presbyter,
Benedictus presbyter,
Simeon presbyter,
Sergius presbyter,
Gregorius presbyter,

Anaſtaſius presbyter,
Benedictus presbyter,
Georgius presbyter,
Vrſus presbyter,
Creſcentius presbyter,
Simeon presbyter,
Iobinianus presbyter,
Anaſtaſius presbyter,
Benedictus presbyter,
Marinus presbyter,
Vrſus presbyter;
Coram ſacratiſſimo corpore beati principis Apoſtolorum reſidens: adſtantibus quoque diaconibus, quorum nomina hæc ſunt:
Valentinus Archidiaconus,
Theodorus diaconus,
Leo diaconus,
Fauſtus diaconus,
Leo diaconus,
Leontius diaconus:
diuerſiſque clericis, legente Theodoro diacono Pontifex dixit:

Ex synodo Gregor. II.

CVM SIMVS dominicæ plebis ſuperna miſeratione rectores, ſtudioſe nos conuenit Dei præſidio pro eorum ſemper cogitare ſalute: ne de fruſtratis creditis, quod abſit, animabus inſidijs antiqui hoſtis, ante omnium paſtorem (niſi ſuccedat præueniendo de offenſis correctio) diſtrictam cogamur ſoluere rationẽ. Dumq; perpendo vel ad animum reduco, quanta circũſpectione nos oporteat vigilando contra ſuicuiuſque ſceleris nequitiam obuiare; & ſi quando inſilierit ad perturbandas fidelium mentes adiutorio ſuperno ictui eius reſiſtere, valde concutior, atq; nimis tabeſco, ne ſerpentina calliditate quod abſit leuiores quoſq; decipiat. Deo vero fauente ſollicitudinem æquanimiore mente diuino iuuamine freti pro ſalute omnium oſtende-

re debemus; vt inconfuſo vultu non de fraude cuiuſquá perculſi adſiſtere æterno iudicio mereamur; ſed potius vocem audire inquientem: *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui.* Hinc namque eſt, quod ingemiſcens dico, quia populi Chriſtiani per prouincias & loca commorantes audio temere contra Catholicæ fidei documenta, & Patrum ſtatuta agere; quod oportunum eſt ſpiritali amputare mucrone, atque ſi veſtræ placet ſanctitati radicitus euelli; ne ſeges boni agricolæ zizaniorum mixta horrentibus fructibus ſordeſcat. Matt. 25 21.

INCIPIVNT CAPITVLORVM TITVLI NVMERO XXXVIII.

I. *Vt Episcopus bono adprobatus opere ordinetur.*

II. *Vt nullus Episcopus aliusue sacerdos muneribus ordinetur.*

III. *Qualiter Episcopum docere & consistere oportet.*

IV. *De indoctis sacerdotibus.*

V. *Vt in eligendis Episcopis Canonum regulæ seruentur.*

VI. *Vt Episcopi extra proprias parochias non morentur.*

VII. *Vbi clerici consistere debeant.*

VIII. *De sacerdotibus in subiectis baptismalibus plebibus constituendis.*

IX. *Vt clerici non plus quam sufficiat ordinentur.*

X. *De sacerdotibus qui in Ecclesijs vel monasterijs non habitãt.*

XI. *Vt sacerdos non aliquo ludo delectetur.*

XII. *De sacerdotibus qui officijs adesse debent, vt fenoris aliquid aut rusticæ ministeria non exerceant.*

XIII. *Si sacerdotes testimoniũ dicant.*

XIV. *Vbi sacerdotes post condemnationem esse oporteat.*

XV. *De suspectis sacerdotibus.*

XVI. *Vt Episcopis de subiectis plebibus alijsq; pijssimis locis non liceat auferre.*

XVII. *De presbyteris qui oblationem alterius suscipere nolunt.*

XVIII. *Qua re aut auctoritate dimissoriæ fiant, aut credantur.*

XIX. *Vt Episcopi vniuersique sacerdotes habeant aduocatos.*

XX. *De his qui aduocatos inuenire nequeunt.*

XXI. *De monasterio vel oratorio quod a proprio domino soli ędificatũ est.*

XXII. *De inuasione quasi pro parte Ecclesiæ facta.*

XXIII. *De Xenodochijs & alijs similibus locis.*

XXIV. *De pijs locis qui sine presbyteris existunt.*

XXV. *De destructis Ecclesijs.*

XXVI. *Si Episcopus a subiectis sacerdotibus & clericis dationes exigat.*

XXVII. *Quales Abbates sint constituendi.*

XXVIII. *De monachis qui in solo habitu existunt, & non ea vita viuunt.*

XXIX. *De religionis habitu feminis existentibus.*

XXX. *De negotijs & laborationibus die dominico non faciendis.*

XXXI. *De criminalibus causis, ac furtis, cæterisq; similibus die dominico inuentis.*

De

XXXII. *De his qui sine ostenso crimine inuiti monasterio sunt introducti.*

XXXIII. *Vt laici ad missas in presbyterio non consistant.*

XXXIV. *De scholis reparandis pro studio literarum.*

XXXV. *De conuiuijs festis diebus non faciendis.*

XXXVI. *De his qui adhibitam sibi vxorem reliquerunt, & alias sociauerunt.*

XXXVII. *Vt non liceat vno tempore duas habere vxores, seu concubinas.*

XXXVIII. *De incestis & inutilibus coniunctionibus.*

EXPLICIVNT CAPITVLA.

INCIPIVNT CANONES.

CAP. I. *Vt Episcopus bono adprobatus opere ordinetur.*

1.Tim.3. BEATISSIMI Pauli discretione atque ammonitione Episcopum consecrari omnino oportet desiderabilem boni operis, irreprehensibilem, & reliquis optimis apparitionibus quæ sequuntur: vt doctrinam Dei nostri ornet in
Par.1.c. omnibus; ne vt in Pastorali libro
1. continetur, contradicendus inueniatur. *Ab imperitis enim*, inquit, *pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium re-*
Ibid.c.10 *gimen animarum?* Et iterum: *Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum viuendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens iam spiritaliter viuit; qui prospera mundi postponit, qui nulla aduersa pertime-*

scit; qui sola interna desiderat: cuius intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec vnlde per contumeliam repugnat spiritus. Qui ad aliena cupiendo non ducitur, sed propria largitur: qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur; sed nunquam plusquam deceat ignoscens ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat; sed perpetrata ab alijs vt propria deplorat: qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur; sicque in bonis proximi sicut in suis prouectibus lætatur. Qui ita se imitabilem cæteris in cunctis quæ agit insinuat, vt inter eos non habeat quod saltem de transactis mens erubescat. Qui sic studet viuere, vt proximorum quoque corda arentia doctrinæ fluentis irriget. Qui orationis vsu experimento iam didicit, quod obtinere a Domino quæ poposcerit, possit: cui prophetica voce

Esa. 58. *iam quasi specialiter dicitur: Adhuc loquente te dicam, adsum.* Ideoque talium rerum tales esse oportet non indoctos, ne aliqua opportunitate turpes inueniantur, sicut Par. 2. c. 11. in eodem libro habetur: *Quia cum spiritale aliquid a subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare.*

CAP. II. *Vt nullus Episcopus aliusue sacerdos muneribus ordinetur.*

CAVERE itaque oportet vnumquemque sacerdotem, ne præmijs videatur consecrari; vt non exemplo Simoniaci in condemnationem & laqueum incidat diaboli. Quia tam factus, quam etiam faciens honore ademto debite sunt condemnandi, Can. 2. sicut Chalcedonensi aliorumque

Patrum habetur concilio. Quia muneribus ordinatus non animæ decertare cupit remedium, sed vanæ gloriæ mercari lucrum.

CAP. III. *Qualiter Episcopum docere & consistere oportet.*

EPISCOPVM vero bono opere consistere oportet, vt factis congruentibus luceat; vt optimus speculator existat: qualiter populus verbum prædicationis ostenso opere sine dubio obseruando attendat, beatissimo Gregorio papa docente: *Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum; vt & ad sua singulis congruat, & tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat.* Past. par. 3. prologo.

CAP. IV. *De indoctis sacerdotibus.*

QVANQVAM admonita doctorum & statuta Patrum sacerdotes indoctos prohibeant consecrari, opportuni temporis moderatione, si Episcopus inueniatur indoctus a Metropolitano proprio, & deinceps sacerdotes, presbyteri, diaconi, vel etiam subdiaconi a suo Episcopo vt doceri possint admoneantur. Interim subiecti sacerdotes & tales clerici ad tempus a celebratione diuinæ hostiæ & officijs suspendantur, vt docti valeant ad debitum ministerium aduenire. Si autem non potuerint edoceri, in potestate Episcopi sit canonice iudicandi.

CAP. V. *Vt in eligendis Episcopis Canonum regulæ seruentur.*

EPISCOPVM enim consecrare non conuenit, nisi a clericis

& populo fuerit postulatus. Vnde & Cælestinus Papa dicit: *Nullus inuitis ordinetur Episcopus, plebis enim, clericorum & ordinis consensum & desiderium constat esse requirendum.* Et Leo sanctissimus Papa ait: *Nulla enim ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti.* Quod si in eadem Ecclesia dignus non inueniatur, tunc alter de altera eligatur ecclesia: tamen quamuis necessitas eueniat, inuidiose nullo modo consecretur inuitus.

Decret. cap. 18. Dist. 61. c. 13.

Decret. cap. 15. Dist. 62. 1.

CAP. VI. *Vt Episcopi extra proprias parochias non morentur.*

EPISCOPI enim ad culturam propriæ Ecclesiæ suæ pijssime debent adesse; quia absentia Episcopi plerumque fit calami-

tas plebis. Ideoque Sardicenſe
Can. 15. admonente Concilio, vltra trium hebdomadarum ſpatium a proprijs Eccleſijs non morentur, niſi forte per iuſſionem Metropolitani vel principis ex neceſſitate contingat. Quoniam longius niſi per auctoritatem canonicam proficiſci neq; ſuſcipi ſacerdotes debent.

CAP. VII. *Vbi clerici conſiſtere debeant.*

XII. q. I, 3. Anſ. VII, 3. NECESSARIA etenim res exiſtit, vt iuxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus clerici diſciplinis eccleſiaſticis vacent. Itaque omnibus vnum ſit refectorium, ac dormitorium, ſeu cæteræ officinæ ad vſus clericorum neceſſariæ. Miniſtri vero poſt Epiſcopum ſuper eos tales eligantur, quorum vita atque doctrina illos potius exornent, quam dehoneſtent.

CAP. VIII. *De sacerdotibus in subiectis baptismalibus plebibus constituendis.*

EPISCOPI in subiectis baptismalibus plebibus, vt certe proprijs, diligenter curam habere debent: & cum in eis presbyteros necessitas occurrerit ordinandi, vt reuerentius obseruetur. conuenit enim ibidem habitantium sibi adhibere consensum.

CAP. IX. *Vt clerici non plus quam sufficiat ordinentur.*

ITAQVE in congregandis clericis modus discretionis teneatur, videlicet, ne plus admittantur, quam facultas rerum eis canonice adtributa sufficere possit.

CAP. X. *De sacerdotibus qui in Ecclesijs vel monasterijs non habitant.*

SACERDOTES namque constituti non oportet, nisi in ecclesijs, aut speciali monasterio deputentur: ne necessitas in secularibus domibus illis habitandi occurrat. alioquin a proprijs Episcopis aut in episcopia, aut in monasteria habitandi & conuersandi pro exercendo officio constituantur: in quibus mulieres conuersari nulla ratio permittit. Ideoque ibi eos conuersari & nutriri oportet.

CAP. XI. *Vt sacerdos non aliquo ludo delectetur.*

SACERDOS enim sedule diuina debet perscrutari & ammonere eloquia, vt inueniatur beatus; de quo psalmista ait: *Et in lege eius meditabitur die ac nocte.* Quamobrem ludos aliquos coram se fie-

Psal. 1.

Iuo XI, 76.

ri non delectetur. Transgressor quippe inuentus ammonitione Episcopi vlterius agere desinat: sin autem, canonice iudicetur.

CAP. XII. *De sacerdotibus qui officijs adesse debent, vt fenoris aliquid aut rustica ministeria non exerceant.*

SACERDOTES itaque qui ad debita & opportuna officia ecclesijs indifferenter adesse debent, fenore aliquo, aut venatione, vel aliqua aucupatione, rusticoque ministerio omnino non occupentur. Quia sine ornatu sacerdotali extra domos eos apparere non conuenit: ne vt aliquis secularium iniurias patiantur. Sed ea solummodo quæ per Patres constituta videntur obseruent. contrarius denique inuentus, aut de- xxi.q.4. 9. Anf.vi. 1:6. Iuo xiii. 17.

inceps desinat, aut canonicæ subiaceat disciplinæ.

CAP. XIII. *Si sacerdotes testimonium dicant.*

xiv.q.2, 2. QVANQVAM sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamen ipsi in secularibus negotijs pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus esse non conuenit. Si enim euentæ causæ aliquid viderint aut audierint, vbi nullæ idoneæ secularium inueniantur personæ, ne veritas occultetur, & malus vt bonus existimetur, in prouidentia proprij sit Episcopi, vt aut coram se & competentibus iudicibus, aut aliter veritatem honorifice attollant.

CAP. XIV. *Vbi sacerdotes post condemnationem esse oporteat,*

SACERDOS etenim, aut quiuis alius in ordinem ecclesiasticum prouectus, si in eo scelere inueniatur, quo abijciendus existat, depositus prouidentia Episcopi bene prouiso loco constituatur, vbi peccata lugeat, & vlterius non committat. Dist. 81, 7.

CAP. XV. *De suspectis sacerdotibus.*

SI quispiam sacerdotum, id est, Episcopus, presbyter, aut diaconus, vel etiam subdiaconus, de quacunque femina crimine fornicationis suspicatus, post primam secundamque & tertiam ammonitionem Metropolitani vel alterius Episcopi, aut eius cui subiacere videtur, inueniatur fabulari Dist. 81, 22.

cum ea, alioue modo conuersari, canonice iudicetur. Quapropter vnusquisque Episcopus in tali re studiose ac diligenter curam habere debet, ne ecclesia Christi a proprijs possit sordidari ministris. Quia cum propriam vxorem habere non permittitur, maxime ab omni femina est abstinendus.

CAP. XVI. *Vt Episcopis de subiectis plebibus alijsque pijssimis locis non liceat auferre.*

xii.q.i. 27. NVLLI Episcoporum liceat res immobiles de subiectis plebibus seu alijs pijs locis in proprio vsu habere; ne maiores enormiter locupletentur, aut minores tali facto pauperiores inueniantur. Contra agens canonica auctoritate coarctandus existat.

CAP. XVII. *De presbyteris qui oblationem alterius suscipere nolunt.*

PRESBYTERI nullius blandiantur aut suadeantur sermonibus, vt non omnium ad se concurrentium in quibuslibet sacris locis oblationes ad missarum solemnitates recipiant. Quia cum mediatores Dei hominumq; existant, in exercendis votis relaxandisque peccatis largissimam debent orationem peragere. Si quis autem contra hæc temerator extiterit; aut desinat, aut doctoris proprij constringatur sententia. Redemtor enim noster cum sit omnipotens, immensæque misericordiæ plenus, quantorum populorum vota non recipit, & vincula peccatorum vnatenus non resoluit? Burch. v. 37.

CAP. XVIII. *Qua re aut auctoritate dimißoriæ fiant, aut credantur.*

Dist. 73. I. EPISCOPVS subiecto sibi sacerdoti vel alij clerico, nisi ab alio postulatus dimissorias non faciat, ne ouis quasi perdita aut errans inueniatur: sed per consensum vnius in alterius inueniatur ouili. Et ne falsæ vt veræ credantur, & veræ vt falsæ suspicentur, vniuersalis Pontificis, aut imperialis, vel metropolitani bullas eas roborari oportet.

CAP. XIX. *Vt Episcopi vniuersique sacerdotes habeant aduocatos.*

V. q. 3. 3. QVIA Episcopi vniuersique sacerdotes ad solam laudem Dei, bonorumque operum actionem constituuntur, debet ergo vnusquisque eorum tam pro ecclesiæ

clesiasticis, quam etiam pro propriis suis actionibus, excepto publico videlicet crimine, habere aduocatum, non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inuentum: ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant.

CAP. XX. *De his qui aduocatos inuenire nequeunt.*

SI enim fuerit quispiam sacerdotum inuentus, qui aduocatum in iudicium proferre non valeat, coram plebe propria suum Episcopum eundem oportet discutere sacerdotem, si bonæ aut malæ conuersationis existat, cuius rei causa debite aduocatū habere non possit: malæ vero inuentus, pro qualitate culpæ secundum canonum normā emendari curetur,

CAP. XXI. *De monasterio vel oratorio quod a proprio domino soli adificatum est.*

xvi.q.7. 33. MONASTERIVM vel oratorium canonicè constructum a dominio constructoris inuite non auferatur: liceatq; illi id presbytero cui voluerit pro sacro officio illius diœceseos & bonæ auctoritatis dimissoria, cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare: ita vt ad placita & ad iustam reuerentiam ipsius Episcopi obediēter sacerdos recurrat.

CAP. XXII. *De inuasione quasi pro parte Ecclesiæ facta.*

SI quispiam inuasor comprobatus dicat pro parte Ecclesiæ se egisse de priuata sibi re pertinente, ab ipso suoque hærede solua-

tur inuasio. Sacerdos denique, in tali culpa pauper inuentus a proprio canonice judicetur Episcopo; vt non Ecclesia sibi commissa damnum sustineat.

CAP. XXIII. *De Xenodochijs & alijs similibus locis.*

PER sollicitudinem Episcoporum hæc, quorum diœceseos existunt, ad easdem vtilitates, quibus constituta sunt, ordinentur, vt debitis atque curæ pertinentibus reuertantur. Coll. 1. Decr. l. 3 tit. 31, 2.

CAP. XXIV. *De pijs locis qui sine presbyteris existunt.*

SVNT quædam pia loca, vt fertur, in diuersis regionibus inuenta, quæ ita impia solitudine & sacerdotibus destituta, nullo-

que debito ibidem resonante existunt officio, vt cum sint pro sola Dei laude constituta, diuino
Mat. 21. attestante oraculo: *Domus mea domus orationis est:* nunc autem vt aliæ domus vtilitate secularium hominum sordere inueniuntur. Itaque si proprio iure Ecclesiæ sint subiectæ, Episcopus ibidem sine intermissione presbyteros cũ sufficiente suæ vtilitatis ope constituat. Et si secularium hominum sub iure sint constitutæ, ab Episcopo illius diœcesis admoneantur. Et si admoniti presbyteros infra trium mensium spatium ibidem neglexerint constituere, curam exinde habens Episcopus absque neglectu Principem suggerat, quatenus eius emendetur sententia.

CAP. XXV. *De destructis Ecclesijs.*

ECCLESIA & quælibet pia loca destructa reiacentia promissæ atque susceptæ formatæ constitutione proprio dispendio restaurentur. Non sufficiente vero necessario, a populo plebis auxilientur, quatenus Dei domus honorifice videatur existere.

CAP. XXVI. *Si Episcopus a subiectis sacerdotibus & clericis dationes exigat.*

NVLLI liceat Episcoporum a subiecto sacerdote vel aliquolibet clerico & pijs locis dationes vltra statuta Patrum exigere, aut superposita in angarijs inferre. Sed cum sit optimus prospector, ita prospiciat, vt vniuersæ sibi oues commissæ a se maxime alantur, atque in necessitati- XVI. q. I, 62. Anst. VI. 174.

bus adiuuentur, quam inlicitis exactis dationibus opprimantur.

CAP. XXVII. *Quales Abbates sint constituendi.*

ABBATES etenim per Cœnobia, vel vt hoc tempore nuncupantur monasteria, tales constituantur, qui sui vocabuli ministerium Deo possint indubitanter supplere. Ita docti, vt quandoque fratrum negligentia acciderit, omnino cognoscere possint & emendare. Sacerdotalem quoque honorem sint adepti, vt peccantium sibi subiectorum fratrum valeant omnimodis refrenare & amputare commissa. & ita obseruent, vt statuta regularum per omnia non inueniantur delinqui.

CAP. XXVIII. *De monachis qui in solo habitu existunt, & non ea vita viuunt.*

QVANQVAM plura sint genera monachorum obseruanda, videlicet, & alia omnimodo refutanda, tamen de his qui in solo habitu existunt, diligenti cura debet vnusquisque Episcoporum in sua diœcesi decertare, vt qui religiositate conantur illudere, boni pastoris studio coarctentur: vt aut ad proprium de quo defuerint reuertantur monasterium, aut prospectu congruo in aliud mittantur. vt qui semel se Deo vouerunt, & habitum monachi ostenderunt, vel comas totonderunt, regularem teneant vitam: vno scilicet vt conuenit dormitorio ac refectorio dormientes atque existentes; & ad similudinem

Apostolorum omnia peragentes:
Act. 4. quia *nec quisquam quod habebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.*

CAP. XXIX. *De religionis habitu feminis existentibus.*

XXVII. q. 1, 31. Bur. VIII, 54. Iuo VII, 72. FEMINÆ vero, quæ habitum religiosum aut velamen obtentu religiositatis susceperunt, cum essent viri potentes, deinceps viro sociari non permittantur: sed eligentes monasteria regulariter viuant, aut in domibus susceptum habitum caste obseruent. contra autem turpes inuentæ prouidentia Episcopi emendentur.

CAP. XXX. *De negotijs & laborationibus die dominico non faciendis.*

CONSTAT enim omnes omnino obseruare, vt die dominico nullas audeant operationes mercationesque peragere, præter in cibarijs rebus pro itinerantibus, ita vt libere possint ac debite in eo secundum possibilitatem omnes ad Ecclesiam concurrere, & in sola omnipotentis Dei oratione vacare. vt qui Christiano vocabulo nuncupantur, conuenienter opera peragere videantur.

CAP. XXXI. *De criminalibus causis, ac furtis, cæterisque similibus die dominico inuentis.*

SVNT quippe qui dominico die, in quo commissa facinora debent oratione abstergere, alia delectantur committere. Itaque quod alijs diebus committantur, licentia sit iudici actoriue eo die

personam suspectam reatu infamatam, aut optima fundatione, aut custodijs constituere, vt licitis diebus iudicetur.

CAP. XXXII. *De his qui sine ostenso crimine inuiti monasterio sunt introducti.*

xx. q. 1, 9. SICVT enim qui monasteria elegerunt, a monasterijs egredi non permittuntur; ita hi qui inuiti sine iustæ ostensionis crimine monasterijs sunt intromissi, nisi volentes non teneantur: quia quod non petunt, non obseruant. Ideoque tales considerandi sunt maxime peccata committere, quam plangere, sicut decreto sanctissimi Leonis Papæ manifestissime continetur.

cap. 26.

CAP. XXXIII. *Vt laici ad Missas in presbyterio non consistant.*

SACERDOTVM, aliorumque clericorum ecclesijs seruientium honores a laicorum discrete apparere conuenit. Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco, vbi sacerdotes reliquiue clerici consistunt, quod Presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere: vt libere ac honorifice possint sacra officia exercere. De cons. 2, 30.

CAP. XXXIV. *De scholis reparandis pro studio literarum.*

DE quibusdam locis ad nos refertur, non magistros, neque curam inueniri pro studio literarum. Idcirco in vniuersis episcopijs, subiectisque plebibus, & alijs Dist. 37, 12. Iuo IV, c. 214. Anst. VII 2.

locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura & diligentia habeatur, vt magistri & doctores constituantur; qui studia literarũ, liberaliumque artium, ac sancta habentes dogmata, assidue doceant: quia in his maxime diuina manifestantur atque declarantur mandata.

CAP. XXXV. *De conuiuijs festis diebus non faciendis.*

Iuo XI, 77. SVNT quidam, & maxime mulieres, qui festis ac sacris diebus, atque sanctorum natalitijs, non pro eorum quibus debent delectantur desiderijs aduenire; sed ballando, verba turpia decantando, choros tenendo ac ducendo, similitudinem paganorum peragendo, aduenire procurant. Tales enim si cum minoribus ve-

niunt ad ecclesiam peccatis, cùm maioribus reuertuntur. In tali enim facto debet vnusquisque sacerdos diligentissime populum admonere, vt pro sola oratione his diebus ad ecclesiam recurrant. quia ipsi qui talia agunt non solum se perdunt, sed etiam alios deprimere attendunt.

CAP. XXXVI. *De his qui adhibitam sibi vxorem reliquerunt, & alias sociauerunt.*

NVLLI liceat excepta causa fornicationis adhibitam vxorem relinquere, & deinde aliam copulare: alioquin transgressorem priori conuenit sociari coniugio. Sin autem vir & vxor diuertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia Episcopi fiat; vt ab eo sin- XXVII. q. 2, 23.

gulariter prouiso constituantur loco. Nam vxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non soluatur.

CAP. XXXVII. *Vt non liceat vno tempore duas habere vxores, seu concubinas.*

NVLLI liceat vno tempore duas habere vxores, vxoremue & concubinam: quia cum domui non sit lucrum, animæ fit detrimentum. Nam sicut Christus castam obseruat Ecclesiam, ita vir castum debet custodire coniugiũ.

CAP. XXXVIII. *De incestis & inutilibus coniunctionibus.*

Zach. P. syn. Ro. can. 6. Iuo 1x, 21. CONSOBRINAM, neptem, nouercam, fratris vxorem, vel etiam de propria cognatione, aut

quam cognatus habuit, nullus audeat sibi in coniugiũ copulare. Si quis vero huic tali nefario coniugio conuenerit, & in eo permanserit, sciat se Apostolica auctoritate anathematis vinculo esse innodatum: & nullus sacerdos illi tribuat communionem. Si vero conuersus, diuisusque ab illicita fuerit copulatione, dignæ pœnitentiæ submittatur; vt sacerdos loci considerauerit.

EXPLICIT CONCILIVM
EVGENII PAPAE II.

CONCILIVM ROMANVM

LEONIS PP. QVARTI.

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI.

INCIPIT sancta ac veneranda Synodus, quæ per Domini gratiam & eius diuinum consilium congregata est in Ecclesia beati Petri Apostoli, anno scilicet pontificatus sanctissimi ac coangelici & vniuersalis quarti Papæ Leonis septimo; atque inuictissimorum dominorum nostrorum Hlotharij ac Hludouici Imperatorum anno quoq; imperij eorum quinto, & trigesimo septimo, mense Decembri, die VIII, Indict. II.

IN-

iungimus ſolicitudinem : non primitus hæc ita ſtatuentes, ſed præceſſores noſtros Apoſtolicos imitati ; qui beatiſſimis Acholio & Anyſio iniungi pro eorum meritis iſta voluerunt. Iuſtiſſimum eſt enim ita benemeritos honoribus decorari, vt arrogantes neceſſarium videtur obtundi. Placet ergo in bonis præmium, & in minus bonis cenſio: ſic enim & iſte corrigitur, & ille nobilitatur. Arripe itaque, dilectiſſime frater, noſtra vice per ſupraſcriptas Eccleſias, ſaluo earum primatu, curam ; & inter ipſos primates primus, quicquid eos ad nos neceſſe fuerit mittere, non ſine tuo poſtulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam quicquid illud eſt finietur; aut tuo conſilio ad nos vſque perueniendum eſſe mandamus. Licitum

autem & Apostolicæ sedis fauore permissum tuæ fraternitati cognosce, vt cum aliqua ecclesiastica ratio vel in tua vel in memoratis prouincijs agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis episcoporum socios quibuscunque de ecclesijs assumas tecum, quorum & fide & moderatione quicquid necessitas causaue flagitauerit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe a nobis lectus, definias intercessor. Omnem sane instructionem chartarum in causa archiuorum cum presbytero Senecione, viro admodum maturo, fieri iussimus. Itaque & ex priore nostra epistola, & ex his chartulis bene recensens quid agere debeas recognosce. Nam voluntatem hanc nostram per vnamquamque prouinciam satis vt decebat literis manifestauimus. Data XV Kal. Iul.

Honorio IX, Theodosio V. AA. Coss. Item recitata est,

DILECTISSIMO FRATRI Rufo BONIFATIVS. VI.

BEATVS Apostolus Petrus, cui arx sacerdotij dominica voce concessa est, in immensum gratulationis extollitur, quotiens peruidet, concessi sibi honoris a Domino intemeratæ se pacis filios habere custodes. Quid enim gaudio debeat maiore pensare, quam quod agnoscit acceptæ potestatis inlæsa iura seruari? Vere namq; immobile requirit a diuersis destinata super negotijs quibusque consultatio fundamentum, quæ eius consulit sedis arcanum, quam constat dignatione petræ spiritalis elatam. Frequentia igitur, vt serinij nostri monumenta declarant,

ad caritatem tuam ex eius fonte scripta manarunt, quibus solicitudinem ecclesiarum per Macedoniam & Achaiam sitarum fraternitati tuæ, quam scimus ecclesiasticam disciplinam canonũ notione seruare, certum est esse commissam. Nec immerito id ducimus factum. Hanc enim gratiam dilectioni tuæ Apostolica sedes officio diligentis impertit. Vnde fit vt sanctitatem tuam gnaram faciamus huiusce negotij, quod ex ea prouincia auribus nostris ingeritur destinatũ, cuius prudentiæ tuæ dudum cura mandata est. Corinthij enim olim beati Pauli prædicatione laudati, quorum preces subdendas magis credidimus esse quam narrandas, Perigenem, sicut iamdudum a sancta synodo super eius nomine pagina directa testatur, sanctum

& instituti optimi qualitate pollentem, ciuitatis suæ non tam accipere, quam retinere desiderant sacerdotem. Cuius ordinationis seriem si integro ordine exponendam putauero, fiet necesse est eius laudis augmentum; & huic. nimirum proficiet, si faciamus vel ordinantis vel ordinati recto tramite mentionem. Quis enim dubitet eius meritis deputari? quis renuit iudicij fuisse diuini, ideo hunc a Patrensibus in tempore non esse susceptum, & diu super præmissa Ecclesia magna deliberatione suspensum, vt huius ouilis pastor fieret, in cuius caulis suam a cunabulis transegisset ætatem? Iudicia Dei abyssus multa; Psal.35. quod congrue aptamus exemplum: & nemo crederet, quod in ordinatoris aliquando locum subrogari posset, quia fuerat ab

alijs ordinatus. Non ambigo cæleſtis tunc iſtud fuiſſe ſententiæ, qua vel conſenſu qui illic auctoritatem ſedis Apoſtolicæ præſentabant, eum in noſtrorum numerum recipimus: & in eos neceſſe eſt vigorem cenſuræ, qui contra noſtrum factum poſt hæc neſcientibus noſtris incitare dicuntur populos, ſi perſtiterint, exeramus. Quod quidem & dilectionem tuam in eos ex noſtra præceptione facere volumus; vt eorum licentiam, quibus nihil tale commiſimus, refrenemus. Item recitata eſt.

VII. DILECTISSIMO FRATRI Rufo BONIFATIVS.

CREDEBAMVS poſt epiſtolas noſtras pro eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruatione tranſmiſſas, omnibus aditum præſumtionibus

præcludendum, cum ad consultationem dilectionis tuæ præbuissemus debitum pro causarum æstimatione responsum; constituentes ea debere seruari, quæ ecclesiastica exigit disciplina. Sed quantum nunc tuæ sanctitatis nobis relatio patefecit, apud plerosq; valuisse quod scripsimus, apud quosdam autem admonitionem nostrá inefficacem cognouimus fuisse. Nec hoc fraternitati tuæ possumus imputare, cum te anxium pro commissa tibi ecclesiarum solicitudine & rebus & literis sentiamus. Vigilantiæ tuæ laudamus industriam; qui ne videaris tibi commissa negligere, id non prætermittis literis indicare, quod sedis Apostolicæ debeat censura corrigere: hunc te Dei nostri habere professus timorem, quem prudentissimo inesse con-

uenit ſacerdoti; qui tunc tibi eſſe poterit glorioſus, ſi ea quæ curæ tuæ commiſſa ſunt prodeſſe eccleſijs fuerimus experti. Intuetur enim te, vt epiſtolis tuis ipſe fideliter es locutus, beatiſſimus Petrus Apoſtolus oculis ſuis, qualiter ſummi rectoris vtaris officio. Nec poteſt tibi eſſe non proximus, qui paſtor dominicarum ouium eſt perpetuus conſtitutus; aut aliquã vbiuis poſitam eccleſiam non curare, in quo vniuerſalis Eccleſiæ poſitum legimus fundamentum. Te ergo, frater cariſſime, omnis cura reſpectat earum eccleſiarum, quas tibi vice ſedis Apoſtolicæ a nobis creditas recognoſces: vt & praua corrigas, & diſſipata componas; & ſi quæ inter epiſcopos eueniant cauſæ, ſub diuini iudicij timore diſtinguas: vt creditis tibi a ſede Apoſtolica gubernaculis

contra omnes fluctus naſcentium procellarum iuſte & prudenter vtaris. In notitiam ſingulorum, ad quos ante iam ſcripſimus quem deberent tramitem cuſtodire, noſtras te epiſtolas pertuliſſe dixiſti: quibus debitum ſe commodare conſenſum plurimi ſacerdotum ſacrarum traditionum memores ſunt profeſſi. quos fraterna caritate complexi tales eſſe cognoſcimus coëpiſcopum noſtrum Adelfium, vel fratrem Perigenem; cui beati ſermo concilij iamdudum adſtipulator acceſſit, ad epiſcopatus ſpeculam iam vocabat Dei inquam ſententia; cuius beneficia ſæpe credimus eſſe contraria; & in aduerſum vertimus, quæ poſt recognoſcimus profuiſſe. Quam rem confirmat negotij præſentis exemplum. Triſtis abſque dubio coëpiſcopus noſter Perigenes fuit,

cum eum nemo ſuſciperet ordinatum. Nonne huic hoc expediens erat, vt hunc ciuitate ſua Patrenſes populi vnitæ voce contradictionis arcerent? Sed quanto inclinatus fuit, cum eum ordinatum nemo ſuſcepit, tanto ſublimior nunc eſt, cum a ſuis poſcitur, qui ab externis fuerat refutatus. Euidens enim Dei manifeſtumq; iudicium, qui eum id temporis voluit præſtolari, quo mereretur huic eccleſiæ præſidere, in qua & natus adſcritur & renatus. Frater cariſſime, quoniam prudentiæ tuæ iniunctorum vel delegatorum pondus incumbit, petitionis ſupplicum vel diligentiæ tuæ electæ iamdudum vel vicinitatis ratione perſpectat. Quam quidem petitionem non abſque admiratione perlegimus, propterea quod tuis epiſtolis priuaretur.

Omnibus eo quem res exigunt ordine celebratis, aliqua ad nos ſcripta tranſmittas. Nolumus enim coëpiſcopo Perigeni noſtram paginam deſtinare, priuſquam tuas accipiamus epiſtolas, cuius ordinationi videntur omnia delegata. Accelerabis id agere propter deſiderium poſtulantium. Melius enim noſſe dignaris, eos in hanc precem ſola vt arbitror erga religionem deuotione feruere: maxime cum irreprehenſibiliter eũ aſſerant per annos innumeros in presbyterij honore duraſſe,& non indebito ſaltu, ſed ad ſummum gradatim veniſſe faſtigium. Cui ad plenitudinem confirmationis epiſcopatus ſui hoc ſolum reſidet, quod noſtros in honore ſuo necdum ſuſcepit affatus. Intelligere autem tuam non ambigo caritatem hoc non abſque ammira-

tione, quod & huic videmur noſtram paginam non miſiſſe, & ſupplicibus præbuiſſe reſponſum. actum a nobis eſt, vt & Apoſtolicæ ſedis auctoritas, & dilectionis tuæ honorificentia ſeruaretur. Data XIII Kal. Octobres, Monaxio V.C. CONS. Item recitata eſt.

VIII. DILECTISSIMO FRATRI Rufo BONIFATIVS.

RETRO maioribus tuis ſuper prouincijs Apoſtolicæ ſedis iniunctum diligenter a tua caritate debet impleri. Cauſæ etenim Eccleſiarum per eas prouincias poſitarum peruigili ſunt circumſpectione curandæ. Ita quippe vice ſua beatus Apoſtolus Petrus eccleſiæ Theſſalonicenſi cuncta commiſit, vt intelligat ſe ſolicitudinem manere multorum: quam

minorem facere noua, quæ vires habere non possunt, tentamenta non debent. Non est enim eorum cedendum studijs, quos nouitas rerum, & indebitæ desiderium dignitatis accendit: sed elaborandum est, & Deo nostro fauorem præstante certandum, vt quisquis contra licitum nititur, sibi per omnia recognoscat occursum. Quapropter, frater carissime, fretus iamdudum a te auctoritate susceptа, contra inimicas turmas idoneus Dei nostri miles armare. Nihil hic timebis dubij, nihil incerti formidabis euentus. Habes beatum Apostolum Petrum, qui ante te pro sua possit vi repugnare. Nolo perturbatione maris conciti terrearis. Fidem quippe quam in arcano tui pectoris portas, omnibus rebus certum est esse maio-

rem. In nullo te turbo, in nullo penitus procella vexabit. Non patitur ille sedis suæ perire priuilegium te laborante piscator. Omnis tumor fluctuum, omnis procella cessabit, eo fauente nisibus tuis, cui soli mare peruium fuit. Aderit nimirum, & violatores canonum atq; ecclesiastici iuris inimicos Deo auctore compescet, qui talium mentium semper vota frustratur. In ceteros etiam contumaces ius concessæ potestatis exerce. Nullum etenim locum vides a nobis otiosum relictum. Ad Thessalos comminationis & correptionis plenas literas misimus. Ad synodum quæ dicitur illicite congreganda de causa fratris nostri & coëpiscopi Perigenis, cuius scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus vniuersi fra-

tres intelligant, primo conuenire se citra tuam conscientiam minime debuisse: deinde, de nostro non esse iudicio retractandum. Nunquá etenim licuit de eo rursus quod semel statutum est ab Apostolica sede, tractari. In qua pagina nostra vt condecuit honorem debitum tuæ seruauimus sanctitati, sicut eius caritas tua lectione cognoscet. Perreuij autem coëpiscopi nostri negotium, cuius nobis libellus ab eodem destinatus fecit indicium, cui consacerdotes sui molesti nimis esse dicuntur, ita vt eum ecclesia sua crederent esse pellendum, diligenter audire tuam volumus caritatem; conuentis supradictis coëpiscopis nostris, quorum se vim sustinere deplorat. Tunc demum, vt intelligant si quid a se factum est contra consuetudinem prius

esse cassandum, omnibus vestigatis ad nos tua caritas referre maturet, quatenus probatum a tua fraternitate iudicium sententia nostra valeat roborari. Sane in epistola Thessalis fratribus destinata id a nobis scriptum volumus recognoscas, Pausianum, Cyriacum atq; Calliopum a nostra cómunione penitus summouendos: ita vt remedium solum interuentionis tuæ gratiam se habere cognoscant. Maximum autem, quem male tua caritas retulit ordinatum, in totum sacerdotij censemus honore priuandum. Tuæ caritatis est Seuerum Apostolicæ sedis notarium, animis acceptissimum nostris, de nostro proprio latere destinatum, peractis omnibus tota celeritate dimittere, vt gestarum ordinem rerum eodem festinius reuertente

no-

neceſſariæ. Miniſtri vero poſt Epiſcopum ſuper eos tales eligantur, quorum vita atque doctrina illos potius exornent, quam dehoneſtent.

CAP. VIII. *De ſacerdotibus in ſubiectis baptiſmalibus plebibus conſtituendis.*

EPISCOPI in ſubiectis baptiſmalibus plebibus, vt certe proprijs, diligenter curam habere debent: & cum in eis presbyteros neceſſitas occurrerit ordinandi, vt reuerentius obſeruetur. conuenit enim in eis ibidē habitantium ſibi adhibere conſensū. EVG.

CAP. IX. *Vt clerici non plus quam ſufficiat ordinentur.*

ITAQVE in congregandis clericis modus diſcretionis tenea- EVG.

tur; videlicet, ne plus admittantur, quam facultas rerum eis canonice adtributa sufficere possit.

ADDITIONIS. Deus enim noster omnipotens tribus in rebus vniuersa constituit, pondere videlicet, numero, & mensura: cuius nos saluberrimum perficere & conseruare præceptum semper oportet.

CAP. X. *De sacerdotibus qui in Ecclesijs vel monasterijs non habitant.*

EVG. SACERDOTES namque constitui non oportet, nisi in ecclesijs, aut speciali monasterio deputentur: ne necessitas in secularibus domibus illis habitandi occurrat. alioquin a proprijs Episcopis aut in episcopia, aut in monasteria habitandi & conuersandi pro exercendo officio constituantur: in quibus mulieres con-

uersari nulla ratio permittit. Ideoque ibi eos conuersari & nutriri oportet.

CAP. XI. *Vt sacerdos non aliquo ludo delectetur.*

SACERDOS enim sedule diuina debet perscrutari & ammonere eloquia, vt inueniatur beatus; de quo psalmista ait: *Et in lege eius meditabitur die ac nocte.* Quamobrem ludos aliquos coram se fieri non delectetur. Transgressor quippe inuentus ammonitione Episcopi vlterius agere desinat: sin autem, canonice iudicetur. EVG. Psal. 1. Iuo XI, 76.

CAP. XII. *Vt sacerdotes fenoris aliquid aut rustica ministeria non exerceant.*

SACERDOTES itaque qui ad debita & opportuna officia ec- EVG

clesijs indifferenter adesse debent, fenore aliquo, aut venatione, vel aliqua aucupatione, rusticoque ministerio omnino non occupentur. Quia sine ornatu sacerdotali extra domos eos apparere non conuenit: ne vt aliquis secularium iniurias patiantur. Sed ea solummodo quæ per Patres constituta videntur obseruent. contrarius denique inuentus, aut deinceps desinat, aut canonicæ subiaceat disciplinæ.

xxi. q. 4. 4. Anſ. vii. 116. Iuo xiii. 17.

CAP. XIII. *Si sacerdotes testimonium dicant.*

EVG. xiv. q. 2. 2.

QVANQVAM sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamen ipsi in secularibus negotijs pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus esse

non conuenit. Si enim cruentæ cauſæ interfuerint, & aliquid viderint aut audierint, vbi nullæ idoneæ ſecularium inueniantur perſonæ, ne veritas occultetur, & malus vt bonus exiſtimetur, in prouidentia proprij ſit Epiſcopi, vt aut coram ſe & competentibus iudicibus, aut aliter veritatem honorifice attollant.

CAP. XIV. *Vbi ſacerdotes poſt condemnationem eſſe oporteat.*

SACERDOS etenim, aut quiuis alius in ordinem eccleſiaſticum prouectus, ſi in eo ſcelere inueniatur, quo abijciendus exiſtat, depoſitus prouidentia Epiſcopi bene prouiſo loco conſtituatur, vbi peccata lugeat, & vlterius non committat. EVG. Diſt. 81, 7.

CAP. XV. *De suspectis sacerdotum.*

EVG. Dist. 81, 21.

SI quispiam sacerdotum, id est, Episcopus, presbyter, aut diaconus, vel etiam subdiaconus, de quacunque femina crimine fornicationis suspicatus, post primam secundamque & tertiam ammonitionem Metropolitani vel alterius Episcopi, aut eius cui subiacere videtur, inueniatur fabulari cum ea, alioue modo conuersari, canonice iudicetur. Quapropter vnusquisque Episcopus in tali re studiose ac diligenter curam habere debet, ne ecclesia Christi a propriis possit sordidari ministris. Quia cum propriam vxorem habere non permittitur, maxime ab omni femina est abstinendus.

CAP. XVI. *Vt Episcopis de subiectis plebibus aliisque piissimis locis non liceat auferre.*

NVLLI Episcoporum liceat res immobiles de subiectis plebibus seu alijs pijs locis in proprio vsu habere; ne maiores enormiter locupletentur, aut minores tali facto pauperiores inueniantur. Contra agens canonica auctoritate coarctandus existat. EVG. XII. q. I, 27.

CAP. XVII. *De presbyteris qui pro vnius oblatione alterius nolunt.*

PRESBYTERI nullius blandiantur aut suadeantur sermonibus, vt non omnium ad se concurrentium in quibuslibet sacris locis oblationes ad missarum solemnitates recipiant. Quia cum mediatores Dei hominumq; exi- EVG. Burch. V, 37.

stant, in exercendis votis, relaxandisque peccatis largissimam debent orationem peragere. Si quis autem contra hæc temerator extiterit; aut desinat, aut doctoris proprij constringatur sententia. Redemptor enim noster cum sit omnipotens, immensæque misericordiæ plenus, quantorum populorum vota non recipit, & vincula peccatorum vllatenus non resoluit?

CAP. XVIII. *Qua re aut auctoritate dimissoriæ fiant, aut credantur.*

EVG. Dist. 72. 1. EPISCOPVS subiecto sibi sacerdoti, vel alij clerico, nisi ab alio postulatus dimissorias non faciat, ne ouis quasi perdita aut errans inueniatur: sed per consensum vnius in alterius inueniatur ouile. Et ne falsæ vt veræ cre-

dantur, & veræ vt falsæ suspicentur, vniuersalis Pontificis, aut Imperialis, vel Metropolitani bulla eas roborari oportet.

CAP. XIX. *Vt Episcopi vniuersique sacerdotes habeant aduocatos.*

QVIA Episcopi vniuersique sacerdotes ad solam laudem Dei, bonorumque operum actionem constituuntur: debet ergo vnusquisque eorum tam pro ecclesiasticis, quam etiam pro proprijs suis actionibus, excepto publico videlicet crimine, habere aduocatum, non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inuentum: ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant. EVG. V, q. 3, 3.

CAP. XX. *De his qui aduocatos inuenire nequeunt.*

EVG. SI enim fuerit quispiam sacerdotum inuentus, qui aduocatum in iudicium proferre non valeat, coram plebe propria suum Episcopum eundem oportet discutere sacerdotem, si bonæ aut malæ conuersationis existat, cuius rei causa debite aduocatũ habere non possit, malæ vero inuentus, pro qualitate culpæ secundum canonum normã emendari curetur.

CAP. XXI. *De monasterio vel oratorio quod a proprio domino soli ædificatum est.*

EVG. MONASTERIVM vel oratorium canonicè constructum a dominio constructoris inuite non auferatur: liceatq; illi id presby-

XVI. q. 7. 33.

tero cui voluerit pro sacro officio illius diœceseos & bonæ auctoritatis dimissoria, cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare: ita vt ad placita & ad iustam reuerentiam ipsius Episcopi obediēter sacerdos recurrat.

ADD. LEONIS. Si vero superbia eleuatus, vel aliquolibet modo a proprij se subtrahere maluerit mandatis Episcopi, canonicis eum decernimus vltionibus subiacere.

CAP. XXII. *De inuasione quasi pro parte Ecclesiæ facta.*

SI quispiam inuasor comprobatus dicat pro parte Ecclesiæ se egisse de priuata sibi re pertinente, ab ipso suoque hærede soluatur inuasio. Sacerdos denique in tali culpa pauper inuentus a proprio canonice iudicetur Epi-

EVG.

ſcopo; vt non Eccleſia ſibi commiſſa damnum ſuſtineat. ADDIT. LEO. Sed illæſam huius inuaſionis temeritate permanere ſancimus.

CAP. XXIII. *De Xenodochijs, ptochotrophijs, noſocomijs & orphanotrophijs, & gerontocomijs, brephotrophijs, & monaſterijs tam monachorum quam ſanctimonialium.*

EVG. Coll. 1. Decr. l. 3 tit. 31, 2. PER ſollicitudinem Epiſcoporum hæc, quorum diœceſeos exiſtunt, ad eaſdem vtilitates, quibus conſtituta ſunt, ordinentur, vt debiti panes atque curæ pertinentibus reuertantur. ADD. LEO. Qualiter Deo vacantes inopia vel neceſſitatibus nullatenus occupẽtur; ſed omni expulſa cura purius in Dei ſeruitio valeant mentibus permanere.

CAP. XXIV. *De pijs locis qui sine presbyteris existunt.*

SVNT quædam pia loca, vt fertur, in diuersis regionibus inuenta, quæ ita impia solitudine & sacerdotibus destituta, nulloque debito ibidem resonante existunt officio, vt cum sint pro sola Dei laude constituta, diuino attestante oraculo: *Domus mea domus orationis est:* nunc autem vt aliæ domus vtilitate secularium hominum sordidæ inueniuntur. Itaque si proprio iure Ecclesiæ sint subiectæ, Episcopus ibidem sine intermissione presbyteros cũ sufficiente suæ vtilitatis ope constituat. Et si secularium hominum sub iure sint constitutæ, ab Episcopo illius diœcesis admoneantur. Et si admoniti presbyteros infra trium mensium spa- EVG. Mat. 21.

tium ibidem neglexerint constituere, curam exinde habens Episcopus absque neglectu Principem suggerat, quatenus eius emendetur sententia.

CAP. XXV. *De destructis Ecclesijs.*

EVG. ECCLESIA & quælibet pia loca destructa reiacentia promissæ atque susceptæ formatæ constitutione proprio dispendio restaurentur. Non sufficiente vero necessario, a populo plebis auxilientur, quatenus Dei domus honorifice videatur existere.

„ ADD. LEON. Et ne ruinis obruta,
„ in Dei laudibus perseuerent.

CAP. XXVI. *Si Episcopus a subiectis sacerdotibus & clericis dationes exigat.*

EVG. XVI. q. 1, 62. NVLLI liceat Episcoporum a subiecto sacerdote, vel ali-

quolibet clerico, & pijs locis dationes vltra statuta Patrum exigere, aut superposita in angarijs inferre. Sed cum sit optimus prospector, ita prospiciat, vt vniuersæ sibi oues commissæ a se maxime alantur, atque in necessitatibus adiuuentur, quam inlicitis exactis dationibus opprimantur; ADD. LEON. Quia Dominus pascere & docere nos docuit, & omnibus ministrare; non terrenis lucris vel auaritijs delectari. Anf. vi. 174.

CAP. XXVII. *Quales Abbates sint constituendi.*

ABBATES etenim per Cœnobia, vel vt hoc tempore nuncupantur monasteria, tales constituantur, qui sui vocabuli ministerium Deo possint indubitanter supplere. Ita docti, vt quando

que fratrum negligentia acciderit, omnino cognoscere possint & emendare. Sacerdotalem quoque honorem sint adepti; vt peccantium sibi subiectorum fratrum valeant omnimodis refrenare & amputare commissa. & ita obseruent, vt statuta regularum per omnia non inueniantur delinqui. ADD. LEON. Quatenus Domini pro cunctis possint clementiam exorare; vt scelerum abluti squalore, piaque conuersatione muniti, sanctorum mereantur consortio sociari.

CAP. XXVIII. *De Monachis qui in solo habitu existunt, & non ea vita viuunt.*

EVG. QVANQVAM plura sint genera monachorum, obseruanda videlicet, & alia omnimodo refu-

futanda, tamen de his qui in solo habitu existunt, diligenti cura debet vnusquisque Episcoporum in sua diœcesi decertare, vt qui religiositate conantur illudere, boni pastoris studio coarctentur: vt aut ad proprium de quo defuerint reuertantur monasterium; aut prospectu congruo in aliud mittantur. vt qui semel se Deo vouerunt, & habitum monachi ostenderunt, vel comas totonderunt, regularem teneant vitam: vno scilicet vt conuenit dormitorio ac refectorio dormientes atque existentes; & ad similudinem Apostolorum omnia peragentes: quia *nec quisquam quod habebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia*. ADDIT. LEONIS. Act. 4. 32.

Et monasteriorũ ordo debet persistere, vt muti ore aut ab excellentioribus quotidie lectione, aut

„ pia inter ſe agitatione monachi
„ inſtruantur. qualiter non tantum
„ monachicum nomen quaſi auri-
„ bus audiant, ſed clarius intenta
„ meditatione, vel eruditiorum in-
„ formatione ſcire queant, quibus
„ moribus vel actibus ſtudeant par-
„ ticipari: cognoſcentes, quod actu
„ in orationibus, in lectionibus, in
„ diſputationibus, in vigilijs, in ie-
„ iunijs, moribus modeſti, vt bene
„ placati concordes eſſe debeant:
„ & in ceteris multis, quæ aut a ſan-
„ ctis Patribus, aut a monaſteriorum
„ conditoribus de eorum vita vber-
„ tiſſime reperiuntur expoſita. Et
„ qualiter monachorum auctores
„ non tantum habitu ſequantur &
„ nomine, ſed magis operibus &
„ virtute pertingere valeant. Nam
„ qui per gratiam & leui iugo Dei
„ colla ſubmittunt, & poſtmodum
„ ad proprium vomitum reuertun-

tur, ſanctorum Patrum qui in Ni. „
cæa conuenerunt ſententia, quam Can. 12.
abrenuntiantibus ſtatuerunt, ha- „
bet integram firmitatem. Et vt „
nullatenus violetur, pio cenſemus „
arbitrio, vt nequaquam extra ſe- „
pta monaſterij cellulas monachi „
habere videantur; & nec a mona- „
ſteriorum clauſuris abſque Ab- „
batis, vel qui ab eo ſubpræeſſe „
conſtitutus, licentia ad quodlibet „
opus exercendum egredi præſu- „
mant. Cum vero licentia impe- „
trata aliquid ad peragendum per- „
rexerint, non ſine duorum vel „
trium ex fratribus teſtimonio per- „
gant. Nam ſi Abbas intento ſtu- „
dio cuncta hæc non procurauerit „
adimplenda, talem ſe credat ſu- „
ſtinere iuxta Patrum cenſuram „
ſententiam, qualem delinquen- „
tes monachi tunc promereri de- „
buerant. „

CAP. XXIX. *De religioso habitu feminis existentibus.*

EVG. XXVII. q. I, 31. Bur. VIII, 54. Iuo VII, 72.

FEMINÆ vero, quæ habitum religiosum aut velamen obtentu religiositatis susceperunt, cum essent viri potentes, deinceps viro sociari non permittantur: sed eligentes monasteria regulariter viuant, aut in domibus susceptum habitum caste obseruent. contra autem turpes inuentæ prouidentia Episcopi emendentur. ADD. LEON. Secundum culparum vel peccatorum differentiam pœnitentia moderetur; & ipsarum cœnobijs doctrina & institutio ad similitudinem virorum maneat monasteriorū. quia quamuis in sexu dispares sint, in humilitate sine status differentia concordant.

CAP. XXX. *De negotijs & laborationibus die dominico non faciendis.*

CONSTAT enim omnes omnino obseruare, vt die dominico nullas audeant operationes mercationesque peragere, præter in cibarijs rebus pro itinerantibus; ita vt libere possint ac debite in eo secundum possibilitatem omnes ad Ecclesiam concurrere, & in sola omnipotentis Dei oratione vacare. vt qui Christiano vocabulo nuncupantur, conuenienter opera peragere videantur. EVG.

ADD. LEONIS. Qui vero rustica opera die dominico agere præsumserit, contra diuina præcepta egisse non dubitet, & ad pœnitentiam omnimodis redigatur: qualiter pro hoc cælestia regna non amittat.

CAP. XXXI. *De criminalibus cauſis, ac furtis, cæteriſque ſimilibus die dominico inuentis.*

EVG. SVNT quippe qui dominico die, in quo commiſſa facinora debent oratione abſtergere, alia delectantur committere. Itaque quod alijs diebus committantur, licentia ſit iudici actoriue eo die perſonam ſuſpectam reatu infamatam, aut optima ſatiſdatione, aut cuſtodijs conſtituere, vt licitis
„ diebus iudicetur. ADD. LEON. Sed
„ tamen ſacerdotibus, ſi præſto ſint,
„ deprecetur, vt ad publicam redi-
„ gatur pœnitentiam; vt iudicium
L. 2, 7, & 11. Cod. de ferijs. mortis non ſubeat. Nam legibus infirmatur iudicium dominico die depromtum, & obligationes
„ eiuſdem ſacri diei Imperatorum
„ ſiquidem cenſura diſſoluit.

CAP. XXXII. *De his qui sine ostenso crimine inuiti monasterio sunt introducti.*

SICVT enim qui monasteria elegerunt, a monasterijs egredi non permittuntur; ita hi qui inuiti sine iustæ ostensionis crimine monasterijs sunt intromissi, nisi volentes non teneantur: quia quod non petunt, non obseruant. Ideoque tales considerandi sunt maxime peccata committere, quam plangere, sicut decreto sanctissimi Leonis Papæ manifestissime continetur. ADD. LEON. Verum etiam qui sponte ad talem deuotionem peruenerit, & postmodum ad nuptias vel ad militias deuoluitur, publicę satisfactionem pœnitentiæ gerat intentius, vt ad perfectionem redire non diffidat. EVG. xx. q. 1, 9. Cap. 16.

CAP. XXXIII. *Vt laici ad Missas in presbyterio non consistant.*

EVG. De cons. 2, 30. SACERDOTVM, aliorumque clericorum Ecclesijs seruientium honores a laicorum discrete apparere conuenit. Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco, vbi sacerdotes reliquiue clerici consistunt, quod presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere: vt libere ac honorifice possint sacra officia exercere. ADD. LEON. Et sicuti discrete in Ecclesia singula videntur exposita, ita virorum pars & mulierum partibus suis contenta sit. Et seculares, ne peccent cum iustificari desiderant, a prohibitis abstinere videantur; nec inter sacros cancellos ordinibus debitos nisi permittente Episcopo adtentent accedere.

CAP. XXXIV. *De Scholis reparandis pro studio literarum.*

DE quibusdam locis ad nos refertur, non magistros, neque curam inueniri pro studio literarum. Idcirco in vniuersis episcopijs, subiectisque plebibus, & alijs locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura & diligentia habeatur, vt magistri & doctores constituantur; qui studia literarũ, liberaliumque artium, ac sancta habentes dogmata, assidue doceant: quia in his maxime diuina manifestantur atque declarantur mandata. ADD. LEON. Et si liberalium artium præceptores in plebibus, vt assolet, raro inueniuntur; tamen diuinæ scripturæ magistri, & institutores ecclesiastici officij nullatenus desint: qui & annualiter proprio Episcopo de

EVG. Dist. 37. 12. Iuo IV. 2. 14. Ans. VII. 2.

„ eiusdem actionis opere sollicite
„ inquisiti debeant respondere.
„ Nam qualiter ad diuinum vtili-
„ ter cultum aliquis accedere pos-
„ sit, nisi iusta instructione docea-
„ tur?

CAP. XXXV. *De conuiuijs festis diebus non faciendis.*

EVG. Iuo XI, 77. SVNT quidam, & maxime mulieres, qui festis ac sacris diebus, atque sanctorum natalitijs, non pro eorum quibus debent delectantur desiderijs aduenire; sed ballando, verba turpia decantando, choros tenendo ac ducendo, similitudinem paganorum peragendo, aduenire procurant. Tales enim si cum minoribus veniunt ad ecclesiam peccatis, cum maioribus reuertuntur. In tali enim facto debet vnusquisque sa-

cerdos diligentissime populum admonere, vt pro sola oratione his diebus ad ecclesiam recurrant. quia ipsi qui talia agunt, non solum se perdunt, sed etiam alios deprimere attendunt. ADD. LEON. „ Nam qui huius pernicioſi & scelesti facti studiosus inuentus, admonitus a sacerdote minime obaudierit, a communione modis omnibus suspendatur. Quia condecet pergentes ad ecclesiam diuinas intente scripturas attendere, & locis Dei quæ eius sunt agere; secundum quod scriptum est: *Domus mea domus orationis vocabitur:* non alios secum ad immane peccatum sua culpa suadere. „ Mat. 21. 13.

CAP. XXXVI. *De his qui adhibitam sibi vxorem reliquerunt, & alias sociauerunt.*

EVG. NVLLI liceat excepta causa fornicationis adhibitam vxorem relinquere, & deinde aliam copulare: alioquin transgressorem priori conuenit sociari coniugio.

XXVII. 9. 2, 23. Sin autem vir & vxor diuertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia Episcopi fiat; vt ab eo singulariter prouiso constituantur loco. Nam vxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non soluatur. ADDIT. LEONIS. Vtraque enim pars consentiens, & magis alter ex illis diuini amoris quam humani ardens, vt in castitate maneret, diuortium miserit, & postmodum pollicitationem propriam non obseruauerit, ad districtam mentiens pœnitentiam redigatur.

CAP. XXXVII. *Vt non liceat vno tempore duas habere vxores, seu concubinas.*

NVLLI liceat vno tempore duas habere vxores, vxoremue & concubinam: quia cum domui non sit lucrum, animæ sit detrimentum. Nam sicut Christus castam obseruat Ecclesiam, ita vir castum debet custodire coniugiũ. EVG.

ADD. LEON. Contra hæc salubria dicta faciens, cum vxore concubinam habens, Ecclesia communi videatur indignus. Et si perseuerauerit, & cum satisfactione non emendauerit, perseuerans ab Ecclesia penitus amputetur: resipiscenti vero communionis vel reconciliationis tempus Episcopus abbreuiare debebit. „ „ „ „ „ „ „ „ „ „

CAP. XXXVIII. *De inceſtis & inutilibus coniunctionibus.*

EVG. Zac. PP. ſyn. Ro. can. 6. Iuo IX, 21.

CONSOBRINAM, neptem, nouercam, fratris vxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuit, nullus audeat ſibi in coniugiũ copulare. Si quis vero huic tali nefario coniugio conuenerit, & in eo permanſerit, ſciat ſe Apoſtolica auctoritate anathematis vinculo eſſe innodatum: & nullus ſacerdos illi tribuat communionem. Si vero conuerſus, diuiſusque ab illicita fuerit copulatione, dignæ pœnitentiæ ſubmittatur; vt ſacerdos loci conſideraverit. ADD. LEONIS. Greg. 2. ſyn. Ro. can. 5. 6. &c. Et vtpote beati Papæ Gregorij decretalia pleniſſime pandent.

HVC VSQVE CANONES EX SYNODO EVGENII PP. II.

CAP. IXL. *Ne per singula Ecclesiarũ locã plusquã oportet presbyteri ordinentur.*

RES. non parumper necessarias fauente Domino vobiscum pariter multo tempore volumus emendare, & modum arbitrio pium in hac Vrbe de forensibus sacerdotibus, qui per viciniores Episcopos consecrantur, rationabilius ordinare : qualiter nullatenus amplius per titulorum vel diaconiarum ecclesias in sacerdotali gradu constituti sacerdotes reperiantur, quam nos communi consilio supra fuisse annotatum recolimus. Denique a maioribus ordinatum, vt secundum facultatem rerum Ecclesiæ, oblationes, vel reditum clerici ordinentur : nos in quid tantam superfluitatem presbyterorum forensium cernimus ordinatam, quorum

non amplius quam tertiam partem debito more posse sufficere? Et credo in nonnullis sancti Canones corrumpi potuissent, dicentes: *Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli*. & in alijs multis, quæ hic per totum longum recensere: & maxime in hoc; quod nullus absolute debeat ordinari presbyterorum. Deinceps vero qui contra interdicta attentare præsumserit, sciat se in eo omnimodo vindicandum. Idem vero huius Vrbis presbyteri Episcopum proprium recognoscant; & delinquentes canonice iudicet, iudicarique obedienter auscultent, & ad eum iussi adueniant, si volunt ecclesiasticis participium retinere. Cuncta hæc illis patienter sunt obseruanda, si ex toto Canonum nolunt damna sentire.

Can. Nicæn. 2. 1. Tim. 3.

Chalce. can. 6.

CAP.

CAP. XL. *Vt presbyteri ordinati per loca proprij Episcopi nullo modo concilium negligant.*

PRESBYTERI vero qui in diuersis locis, baptisterijs, vel quibuscunque alijs sacris oratorijs ordinantur, instanter & inexcusabiliter ad concilium diœcesis Episcopi occurrere, secundum sanctorum statuta Patrum decernimus. Hi autem qui colonatus possessiones retinent nihilominus volumus ad Episcopi indifferenter venire concilium. Nam si per contumaciam se quasi in alterius potestate subtraxerint, & proprio non subijciuntur Episcopo, canonicis correptionibus subiaceant.

CAP. XLI. *Vt laici qui absque proprij consensu Episcopi presbyteros retinent, communione priuentur: presbyteri vero admoniti redire nolentes honorem amittant.*

LAICI qui alterius diœcesis presbyterum ecclesiæ cuiuscunque suæ potestate instituerint, non præbente consensum Episcopo, cuius parochia videtur existere, a fidelium communione separentur. Presbyteri vero qui talium subreptione recipiuntur, & admoniti ab Episcopo tertio, vel misso eius, recedere de alterius ecclesia noluerint, proprij officij gradum amittant. Nam si & presbyter sua audacia ecclesiam ad alterum pertinentem Episcopum inuadere tentauerit, & contra prohibentem Episcopum a tali præsumtione non compescuerit, similis sententiæ subeat vltionem.

Cap. XLII. *Vt nullus in Ecclesijs præsumat presbyteros constituere, nisi qui & dare licites, & increpare canonice potest.*

ILLVD itaque non intermittendum præuidimus, quod quidem fratres vicini Episcopi extra hanc Vrbem in proprietatibus monasteriorum huius Vrbis, vel cæterorum piorum locorum, id est, Xenodochiorum, titulorumque, & similium a prædecessoribus fundatis querelantur, quod non prouidentiæ Episcoporum, quorum ipsa loca diœcesis videntur existere; sed abbates aut prælati ipsorum piorum locorum ad sacras missas celebrandas, aut aliquid sacerdotalis officij agendum instituunt sacerdotes. Quod nequaquam de reliquo fieri volumus, & insolidabili reiunctione

persecamus: id est, vt nullus in Ecclesijs præsumat presbyteros constituere, nisi qui & sacerdotalem gradum dare licite potest, & canonice de neglectis presbyteros increpare. Sed ab his venerabiliter sacerdotes ad diuini ministerij officium expetantur Episcopis, quibus singulariter & diœceses pertinent, & canonice debent ipsas Ecclesias prouidere, ordinareque prouisas.

EXPLICIVNT CANONES.

TVNC vero sancta completa Synodo ab vniuersis Episcopis, presbyteris, diaconibus, & clero cuncto sic acclamatum est: EXAVDI CHRISTE. *Domino nostro Leoni a Deo decreto summo Pontifici, & vniuersali quarto Papæ vita.*

ACTA DEPOSITIONIS ANASTASII Presbyteri tit. beati Marcelli.

Et hoc dicto Theodorus notarius ac scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ legit. Imperantibus dominis pijssimis perpetuis Augustis, Hlothario a Deo coronato pacifico & magno Imperatore, anno XXXVII; sed & Hludouico a Deo coronato eius filio nouo Imperatore, anno V, mense Decembrio, die VIII, Indictione II, in ciuitate noua, cuius vocabulum Leoniana est, intra Ecclesiam vbi corpus beatissimi Petri Apostolorum principis conditum est. LEO Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus missis sacratissimorum Imperatorum filiorum nostrorũ, Ioseph Eporediensis Ecclesiæ antistiti, seu Petro Spoletinæ, item-

que Petro Arretinæ ecclesiæ Episcopis, ac Notingo Episcopo Brixiensi, vniuersæque sanctæ Synodo hic pariter congregatæ. Quod bene ac pleniter nobiscum simul fratres carissimi scitis, nunc iterum dilectioni vestræ cognitum esse volumus; quomodo instigante ac suadente diabolo Anastasius presbyter cardinis nostri, quem nos in titulo B. Marcelli martyris atque pontificis ordinauimus, contra statuta Patrum propriam Ecclesiam deserens, ecce iam per quinquennij tempus in alienis parochijs, id est, Aquileiensibus, velut ouis errans degere ac temere inhabitare præsumpsit. Quem etiam auctoritate suffulti Apostolica & canonica, Apostolicis literis per tertiam & quartam vicem vocauimus; ac vbi redire distulit, duobus congregatis Episcoporũ

concilijs cum eum non potuiſſemus videre, vel habere ſpecialem præſentiam, communi eum decreto ſancta communione priuauimus. Volentes ſiquidem ſuam per huius excõmunicationis cenſuram ad gremium ſanctæ, quo diſceſſerat, matris Eccleſiæ perſonam reducere, iuxta illud XVI ſancti magnique concilij Nicæni capitulum, in quo omnem neceſſitatem presbyteris a propria Eccleſia diſcedentibus imponi præcipitur ac promulgatur. Sed Apoſtolica monita ſanctique concilij pro nihilo ducens, erroris irretitus caligine redire nullatenus voluit. Poſtmodum vero Rauennæ nobis cum pijſſimo inuictoque domino Hludoico Imperatore ſpiritali filio noſtro degentibus, eius clementiam exorauimus, vt eundem presbyterum ad nos

suamque Ecclesiam reuerti iuberet, quod omni alacritate nostro repromisit perficere pontificio, diem constituens atque denuncians, in quo eum remeare sanciret. Missos etiam maiestatis suæ nobiscum reliquit, Notingum scilicet episcopum Brixiensem, & Adelgisum illustrem comitē, qui reuertentem illum nostro conspectui præsentarent. Quibus expectantibus illic nobiscum vsque ad diem statutum & vltra, præfatus presbyter non aduenit: ac ijdem missi se illum nobis repræsentare non posse professi sunt. Post transactum autem placitum, dum eum mandatis nostris temere renitentem conspexissemus; ita vt nec iussis Apostolicis obedire voluisset, neque sanctioni venerandi Concilij conseruatorem se, a quo sancta communione priua-

tus existeret, exhibuisset; ac plurimos sua læsione pestifera maculasset: quin & domini Hlotharij præstantissimi Imperatoris decreto, redire iubenti, pertinaciæ suæ intemperantia restitisset; ne vlterius suo exemplo ecclesiasticus ordo confunderetur, & Christianitatis religio profanaretur, anathematis eum vinculo cum sacerdotum nostrorum consensu nodauimus. Vbi etiam præsto fuerunt idem dictus Notingus Brixiensis Episcopus, & Adelgisus illustris Comes, præfati missi domini Hludouici serenissimi Imperatoris. His ita peractis Rauenna remeantes aduenimus Romam, ipseque iam fatus presbyter præuentus est Clusium: ad quem tres venerabiles Episcopos nostros cum vocationis literis destinauimus, Nicolaum videlicet, Petronacium &

Ioannem; monentes eum tam per se quam per epistolas, quas ei per eosdem mandauimus, vt die quintodecimo mensis Nouembris, huius secundæ Indictionis, ad generalem Synodum absque omni dilatione vel mora occurrere debuisset. Ille autem vt semper, ita & nunc in sua inquietudine, atque audacia perseuerans, venire, vt omnes modo nobiscum cernitis, distulit atque contempsit. Nos autem post tantas vocationes, tantosque labores, quot vna vobiscum pro eo habuimus, quid aliud nunc facere vel agere possumus, nisi vt Canonum promulgationem, ob illius indisciplinatam mentem, vobiscum venerabilibus & Imperialibus missis, carissimis in Christo fratribus nostris, necnon cum cæteris Episcopis atque presbyteris hac Synodo

reſidentibus, atque ſtantibus diaconibus, ac reliquo clero, in eum communiter inferamus, quæ de talibus in tertio Antiocheni concilij capitulo luce clarius continentur? Ad hæc omnes Epiſcopi ſancta Synodo reſidentes dixerunt: Veſtræ ſanctitati ſi placet, veniant in medium venerabiles Epiſcopi, per quos eum veſtris Apoſtolicis literis accerſiri decreuiſtis. Illico ſurrexerunt, Nicolaus videlicet, Petronacius, & Ioannes Epiſcopi, & coram omnibus voce clara dixerunt: Nos ſecundum iuſſionē beatiſſimi præſulis noſtri præſentialiter verbis & literis eum vocauimus; quarum exemplaria en, vt cernitis, in manibus; & ſi vobis placet legantur. Sancta Synodus dixit: Legantur. Tunc relecta ſunt per Theodorum notarium & ſcriniarium ſan-

ctæ Romanæ Ecclesiæ, in quibus continebatur ita

✠ Leo Episcopus seruus seruorum Dei Anastasio presbytero excommunicato. Cum spiritualibus te nostris procreatum visceribus noscimus, tua deceptione quotidie ingemiscimus; qui sinu matris tuæ progressus, erroris irretitus caligine alienis parochijs vel regionibus immorari, contra præcepta Patrum canonumque sanctionem, non dubitas. Reuertere igitur, salutisque incedere summopere callem procura, ne vana spes decipiat, caducæque adulationes subuertant. Sed terrenis mentem actibus erigens, ea quæ superna infinitaque permanent, inquiescibili intuitu anhelare memento. Quia salutem semper tuæ cupimus animæ corporisque videre: & ne te diaboli-

cæ insidiæ concludant, omnipotentis Domini semper clementiam exoramus. Præterea Apostolicis tibi præcipimus literis; iam quinquennij tempus huc illucq; latitans velut anguis discurris, ad Concilium, quod xv congregaturi sumus die Nouembris expectatæ futuræ secundæ mensis Indictione, præsentare te omni deposita occasione procures; vt causam tuam in venerabili cœtu sanctæ valeamus congregationis subtili ventilare intuitu, & humanius tuam conuersionem tractare. Si autem neglexeris quod præcipimus, ampliori te vinculo innodamus. Nam e multimodis te reprehendimus, ac reprehensibilem iudicamus; quia ad duo pro te congregata Concilia occurrere distulisti; sicut hi præsentes Nicolaus, Petronacius, atque Ioannes

venerabiles Episcopi nostri, per quos te nunc auctoritate canonica iussimus euocare, ore proprio indicabunt. Si autem constituto tempore ad prædictum Conciliũ venire neglexeris, sub excommunicatione atque anathemate te modis omnibus decernimus esse mansurum. Sancta Synodus, interea, dixit, requiratur si sæpedictus Anastasius presbyter excommunicatus vtrum venit, annon requisitus minime est inuentus. Tunc sacratissimus Papa imperialibus superius iam dictis missis dixit: Cur nobis sanctoque Concilio secundum Imperialem epistolam iam dictum non præsentatis presbyterum? Ipsi autem affirmantes dixerunt: Nos eum secundum præceptionem domini magnique Imperatoris reducere, vobisque præsentare malui-

mus; sed minime illum inuenire potuimus. Mox autem omnibus Episcopis ipse insignis & beatissimus Præsul dixit: Quid vobis de his videtur? Vniuersus cœtus Episcoporum respondit: Imperialis, si vobis placet, epistola relegatur. Et cum relecta fuisset, in ea inter cætera repertum est ita: Vestræ denique serenitatis industria cognoscat de Anastasio presbytero, cur ad vos non peruenit, nostro satis animo displicuisse. quare nunc carissimos missos nostros, Ioseph videlicet reuerendissimũ Episcopum, atque dilecti filij nostri Hludoici archicapellanum, necnon & Petrum sanctæ sedis Spoletinæ venerabilem Episcopum, & Adelgisum illustrem Comitem nostrum præsentaliter vobis mittimus: quidquid canonice & secundum Deum super illo

vestra deliberauerit sententia, nihil contradicentes. Tantum sollicite cauere, ac prudenter tractare curate; ne in hoc facto diuina voluntas offendatur in aliquo. Tunc venerabilis ac præcipuus Præsul omnibus residentibus Episcopis & presbyteris, stantibus quoque diaconibus & omni clero dixit: O beatissimi fratres, quid vestra beatitudo de crebro dicto presbytero, qui tanta ac talia enormiter contra Patrum regulas atq; statuta peregit? Mox omnes Episcopi vnanimiter dixere: Quid aliud arbitrari aut proferre valemus, nisi vt sancti Patres, qui Antiocheno Concilio residentes tertio capitulo promulgarunt, & inuiolabiliter statuerunt: *Si quis presbyter parochiam propriam deserens ad aliam properauerit; vel inde omnino demigrans in aliam parochiam per*

mul-

multa tempora nititur immorari, vlterius ibidem non ministret: maxime si vocanti suo Episcopo, & regredi ad propriam parochiam commonenti obedire contempserit. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, modis omnibus remoueatur, ita vt nequaquam locum restitutionis inueniat. Quam promulgationem in eum, si vobis placet, presbyterum inferimus, & proprijs manibus roboramus. Præsul summus respondit: Placet. Tunc eleuans se ipse præclarus Pontifex de sede sua ait: Anastasium iam nuper excommunicatum presbyterum tituli S. Marcelli, qui propriam parochiam relinquens, in alrena per multa tempora nititur immorari, a sacerdotali ministerio modis omnibus remouemus; ita vt locum restitutionis nequaquã inueniat. Si quis autem contra hanc diffi-

nitionem noſtram quocunque tempore agere præſumpſerit, aut eum reſtituere in ſacro officio tentauerit, ſit ei a ſanctis Patribus & a nobis omnibus anathema. Poſthæc omnes Epiſcopi eadem Synodo reſidentes, vnanimes dixerunt: Et nos ſic iudicamus, ſicq; irrefragabiliter ſtatuimus. Et ſubſcripſere Epiſcopi numero LXVII.

LEO ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ quartus Epiſcopus in hac excommunicatione & anathemate, ſiue depoſitione Anaſtaſij presbyteri tituli S. Marcelli a me facta, ſicut ſuperius legitur, manu propria ſubſcripſi.

HLOTHARIVS Imperator ſubſcripſit.
Paulus diaconus vicem agens Ioannis Archiepiſcopi Rauennatis.
Ioſeph Ep. Eporedienſis,
Petrus Ep. Spoletanæ,

Petrus Ep. Arretinæ,
Notingus Ep. Brixiensis,
Leo Ep. Balneoregis,
Ioannes Ep. Bellitrensis,
Adrianus Ep. Ferentinate,
Ioannes Ep. Sutriensis,
Agatho Ep. Tudertinæ,
Nicolaus Ep. Anagninæ,
Petrus Ep. Gabinensis,
Andreas Ep. Auximanæ,
Ioannes Ep. Furconiæ,
Dominicus Ep. Fulginensis,
Megistus Ep. Ostiensis,
Maio Ep. Priuernate,
Stephanus Ep. Narniensis,
Racipertus Ep. Nucerinensis,
Rodoaldus Ep. Portuensis,
Cancio Ep. Senensis,
Leo Ep. Siluæ candidæ,
Georgius Ep. Polimartiensis,
Dominicus Ep. Centumcellensis,
Alipertus Ep. Fundensis,
Colo Ep. Reatinæ,

Arnolfus Ep. Valbenſis,
Albinus Ep. Amerinæ,
Benedictus Ep. Nepeſinæ,
Rodoricus Ep. Caſtellanæ,
Theodorus Ep. Manturanenſis,
Ioannes Ep. Tuſcanenſis,
Tanimundus Ep. Suanenſis,
Iordanes Ep. Terracinenſis,
Sergius Ep. Humanenſis,
Adrianus Ep. Cerenſis,
Petronacius Ep. Albanenſis,
Ioannes Ep. Fanenſis,
Ragubel Ep. Piſaurenſis,
Ioannes presbyter vicem tenens
Benedicti Epiſcopi Peruſienſis,
Talarus Ep. Minturnenſis,
Samuel Ep. Senogalliæ,
Atrualdus Ep. Berolanæ,
Ioannes Ep. Falaritanæ,
Dominicus Ep. Gallienſis,
Andreas, Ep. Callienſis,
Bonipertus Ep. Signinæ,
Leo Ep. Alatrinæ,

Iordanes Ep. Caſtrenſis,
Ioannes Ep. Foroſemproniate,
Odalpertus Ep. Populonienſis,
Conſtantinus Ep. Vrbinate,
Erſo Ep. Eugubinæ,
Sergius Ep. Sabinenſis,
Andreas Ep. Bleranæ,
Ibo Ep. Aſſiſienſis,
Anaſtaſius Ep. Tribus tabernis,
Vrſus Ep. Tiburtinæ,
Petrus Ep. Vrbeuetanæ,
Liuderiſius Ep. Marſenſis,
Creſcentius Ep. Tribenſis,
Aimo diaconus vicem agens
Anaſtaſij Epiſcopi Eſinatis,
Vrſus Archidiaconus vicem agẽs
Petri Epiſcopi Teatinenſis,
Leo presbyter vicem agens
Stephani Epiſc. Montefeletranæ,
Rampertus presbyter vicem agẽs
Hieremiæ Epiſcopi Apratienſis,
VValderamus presbyter vicem
agens Teuderandi Ep. Aſculanæ.

SVBSCRIPTIO PRESBYTERORVM.

Romanus Archipresbyter tituli
sanctæ Pudentianæ,
Sergius pbr tt. S. Clementis,
Leo pbr tt. S. Cæciliæ,
Zacharias pbr tt. S. Chrysogoni,
Benedictus pbr tt. S. Calliſti,
Leo pbr tt. S. Laurentij,
Paulus pbr tt. S. Balbinæ,
Leo pbr tt. S. Cyriaci,
Adrianus pbr tt. S. Marci,
Gregorius pbr tt. S. Anaſtaſiæ,
Romanus pbr tt. SS. Ioannis &
Pauli,
Quirinus pbr tt. S. Euſebij,
Iouinianus pbr tt. S. Sabinæ,
Hadrianus pbr tt. S. Vitalis,
Georgius pbr tt. S. Laurentij,
Georgius pbr tt. SS. Ioan. & Pauli,
Ioannes pbr tt. S. Chryſogoni,
Leo pbr tt. SS. IV. Coronatorum,
Martinus pbr tt. S. Marci,
Ioannes, pbr tt. S. Priſcæ,

SVBSCRIPTIO DIACONORVM.

Ioannes Archidiaconus,
Ioannes diaconus,
Nicolaus diaconus,
Benedictus diaconus,
Leontius diaconus,
Benedictus diaconus,

In hac quidem sancta & venerabili Synodo, Domini solatiante gratia nobiliter celebrata, post diuersas Episcoporum, sacerdotumque vel clericorum, atque omnium Christianorum hominum pias ac salutiferas admonitiones & exhortationes, depositus est iuste atq; canonice Anastasius presbyter tituli S. Marcelli: eo quod contra auctoritatem canonicam propriam parochiam deseruit, per annos scilicet quinque, & in alienis adhuc vsque hodie demoratur. & neque vocatus, neque ex-

communicatus, & ad vltimum anathematizatus, sicut de eo in hac ipsa Synodo pleniter scriptum est, ad congregata duo Episcoporum concilia peruenire noluit. Ideo tam a summo Pontifice, quamque ab vniuersis Episcopis tunc Synodo residentibus ob suã stultam audãciam merito, vt prædiximus, est depositus, & sacerdotali honore priuatus. Anno denique, mense, die, & indictione vt supra.

EXPLICIT SYNODVS S. LEONIS PP. QVARTI.

EIVSDEM SYNODI LEONIS IV breuiarium, ex incerto scriptore de vitis Pontificum Romanorum, cui Luitprandi nomen falso tribuitur.

HIC LEO videns multa suo in tempore contra Deum & salutem animarum impudenter fieri, consilio Imperatorum Lotharij & Lodeuuici Romæ Synodum habuit cum LXVII Episcopis: cum quibus XLII capitula Christianorum saluti necessaria edidit, & firmiter firmanda esse præcepit.

In *primo* enim capitulo instituit, vt Episcopus, iuxta Pauli discretionem & admonitionem irreprehensibilis, & boni operis desiderabilis consecretur.

Secundo, Quisque sacerdos caueat, ne præmijs consecrationem adipiscatur: ne exemplo Simonis in laqueum incidat diaboli.

Tertio, Vt bono opere Episcopus existat, & bene speculetur, qualiter populum verbo prædicationis instruere debeat.

Quarto, Vt si Episcopus inueniatur

indoctus, a Metropolitano proprio admoneatur; & presbyteri, & diaconi, & subdiaconi a suo Episcopo, vt doceri possint, admoneantur. & interim tales presbyteri & clerici celebrare diuina mysteria & officia suspendantur; vt docti valeant ad debitum ministerium peruenire.

Quinto, Confirmauit quæ Cælestinus & magnus Leo de Episcopis instituerant: videlicet, vt non conueniat Episcopum consecrari, nisi a clericis & populo fuerit postulatus. Quia nulla ratio sinit, vt aliter consecrati inter Episcopos habeantur. Et cum in eadem Ecclesia dignus non inueniatur, tunc primum alter de altera ecclesia eligatur: & quamuis necessitas eueniat, tamen inuidiose nullo modo consecretur.

Sexto, Præcepit, ne iuxta Sardicensem synodum vltra trium hebdomadarum spacium Episcopi a proprijs Ecclesijs morentur; nisi forte per iussionem Metropolitani vel Principis ex necessitate contingat. Quia absentia Episcopi plerumque fit calamitas plebis.

Septimo, Necessario seruari præcepit, vt iuxta Ecclesiam claustra consti-

tuantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis imbuantur: & omnibus vnũ sit refectorium ac dormitorium, siue cæteræ officinæ ad vsus clericorum necessariæ. Ministri vero post Episcopum tales eligantur, quorum vita & doctrina illos potius exornent, quàm dehonestent.

Octauo, Vt Episcopi diligenter curam habeant in baptismalibus plebibus; & cum necessitas in eis presbyteros ordinandi occurrerit, vt reuerentius obseruentur, non sine consensu ibidem habitantium fieri conuenit.

Nono, Vt in congregandis clericis non plures admittantur, quam facultas rerum eis canonicè attributa sufficere possit.

Decimo, Vt sacerdotes constitui non oporteat, nisi Ecclesijs, aut speciali monasterio deputentur; ne necessitas in secularibus domibus illis habitandi occurrat. alioquin a proprijs Episcopis, aut in Episcopio, aut in monasterijs causa habitandi & conuersandi pro exercendo officio constituantur, vbi mulieres nullam habeant copiam conuersandi.

Vndecimo, Vt sacerdotes diuina eloquia sedulò perscrutentur, & populum admoneant, & ludos aliquos ante se fieri non delectentur. Transgressores quippe admonitione Episcopi vlterius agere desinant; sin autem, canonicè iudicentur.

Duodecimo, Vt sacerdotes, qui ad debita & opportuna officia in Ecclesijs indifferenter adesse debent, fenore aliquo, aut venatione, vel aliqua aucupatione, rusticoue ministerio omninò non occupentur: nec sine ornatu sacerdotali extra domos suas appareant; & ea solum, quæ Patrum constituta videntur, obseruent. contrarij denique inuenti, aut deinceps desinant, aut canonicæ disciplinæ subiaceant.

Tertiodecimo, Vt sacerdotes in secularibus negotijs pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur; quia eos in talibus rebus esse non conuenit. Si enim euentu causæ aliquid viderint aut audierint, vbi nullæ secularium idoneæ personæ inueniantur, ne veritas occultetur, & malus vt bonus existimetur, in prouidentia sit Episcopi, vt coram se, & competenti-

bus iudicibus hanc aliter veritatem honorificè attollant.

Quartodecimo, Vt sacerdos, aut quis alius in Ecclesiastico ordine prouectus, si in eo scelere inueniatur, quo abijciendus sit, depositus prouidentia Episcopi bene prouiso loco constituatur; vbi peccata lugeat, & vlterius non committat.

Quintodecimo, Vt si Episcopus, presbyter, diaconus, vel subdiaconus de quacunque femina crimine fornicationis suspicatus, post primam & secundam & tertiam admonitionem Metropolitani, vel alterius Episcopi, aut eius, cui subiacere videtur, inueniatur fabulari cum ea, aliquoue modo conuersari, canonicè iudicetur: quia cui propriam habere vxorem non permittitur, ab omni femina debet se abstinere.

Sextodecimo, Vt nulli Episcoporum liceat res immobiles de subiectis plebibus alijsque pijs tollere locis: ne in tali facto pauperes inueniantur. contra agens canonica auctoritate coarctandus existat.

Septimodecimo, Vt presbyteri omnium ad se currentium in quibuscun-

que sacris locis oblationes ad Missarum solemnia recipiant: quia cum Dei & hominum mediatores existant, in exercendis votis & relaxandis peccatis largissimam debent orationem peragere.

Octauodecimo, Vt Episcopus sibi subiecto sacerdoti, vel alio clerico nisi ab alio postulatus, dimissorias non faciat: & ne falsæ vt veræ credantur, & veræ vt falsæ suspicentur, vniuersalis Pontificis, vel Imperiali, vel Metropolitani bulla eas roborari oportet.

Nonodecimo, Vt Episcopi, vniuersique sacerdotes, quia ad solam Dei laudem, bonorumque operum actionem constituuntur, debeant tàm pro Ecclesiasticis, quàm pro proprijs suis actionibus, excepto publico crimine, habere aduocatum; non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inuentum: ne dum humana lucra intendunt, æterna præmia perdant.

Vigesimo, Vt si quispiam sacerdotum inuentus fuerit, qui aduocatum in iudicio proferre non valeat, coram plebe propria suus Episcopus ipsum sacerdotem discutiat, si bonæ, an malæ conuersationis existat; aut cuius rei causa

debitè aduocatum habere non possit. malæ verò inuentus, pro qualitate culpæ secundum canonum normam emendari curetur.

Vigesimo primo, Vt monasterium, vel oratorium canonicè constructum a dominio constructoris eo inuito non auferatur; liceatque illi idem presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius diœceseos, & bonæ auctoritatis dimissoria cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare: ita vt ad placita, & iustam reuerentiam illius Episcopi obedienter sacerdos recurrat; alioquin canonicis vltionibus subiaceat.

Vigesimo secundo, Sanciuit, vt si quispiam comprobatus inuasor, dicat pro parte Ecclesiæ se egisse, de priuata sibi re pertinente; ab ipso, suoque hærede persoluatur inuasio. Sacerdos denique in tali culpa pauper inuentus a proprio canonicè iudicetur Episcopo, Episcopus a Metropolitano: vt non Ecclesia sibi commissa damnum sustineat de inuasione.

Vigesimo tertio, De monasterijs monachorum siue sanctimonialium, & de omnibus alijs pro diuersis necessitati-

bus ad eleemosynam constitutis præcepit, vt per Episcoporum solicitudinem, in quorum diœcesi hæc existunt, ordinentur ad easdem vtilitates, quibus constituta sunt.

Vigesimo quarto, Disposuit de Ecclesijs, quæ in diuersis regionibus sacerdotibus & solitudine destitutæ nullo debito officio resonant, vt Episcopus, si proprio iuri Ecclesiæ sunt subiectæ, ibidem sine intermissione presbyterum constituat; & si secularium hominum sunt sub iure cõstitutæ, ab Episcopo admoneantur: & si admoniti presbyteros infra trium mensium spacium ibidem neglexerint constituere, absque neglectu Principem vrgeat Episcopus, vt eius sententia emendetur.

Vigesimo quinto, Vt Ecclesiæ quælibet destructæ proprio stipendio restaurentur: non sufficiente verò necessario, a populo plebis auxilientur.

Vigesimo sexto, Vt nulli Episcoporum liceat, a subiecto sacerdote vel alio quolibet clerico ex pijs locis donationes vltra statuta Patrum exigere, aut superimposita in angarijs inferre.

Vigesimo septimo, Vt Abbates tales con-

constituantur, qui sui vocabuli ministerium Deo possint indubitanter supplere; ita docti, vt quæcumque fratrum negligentia acciderint, omnino cognoscere possint & emendare.

Vigesimo octauo, Vt episcopus in sua diœcesi diligenter perscrutetur illos, qui solo habitu monachi existunt, & ad proprium monasterium redire eos cogat, aut prospectu congruo in aliud mittat, vt regularem vitam seruent.

Vigesimonono, Vt feminæ, quæ habitum religiosum, aut velamen obtentu religionis susceperunt, deinceps viro sociari non permittantur; præuaricatæ autem ad pœnitentiam coërceantur.

Trigesimo, Vt die dominico nullus audeat mercationes, nisi in cibariis rebus, aut quælibet rustica opera facere; alioquin vt transgressor ad pœnitentiam redigatur.

Trigesimoprimo, Vt dominico die personam suspectam & reatu infamem, aut optima satisfactione soluant, aut in custodiis constituant, vt licitis diebus iudicetur. Nam legibus

infirmatur iudicium dominico die depromptum.

Trigesimosecundo, Vt nulli laicorum liceat in eo loco, vbi presbyteri & cæteri clerici existunt, quod presbyterium nuncupatur, quando missa celebratur, consistere: quia sicuti in ecclesia singula loca videntur exposita, ita virorum pars & mulierum partibus suis debet esse contenta.

Trigesimotertio statuit, Vt sicut hi qui monasteria elegerunt, a monasteriis egredi non permittantur; ita hi qui inuiti monasteriis sunt intromissi, nisi volentes non teneantur: quia quod non petunt, non obseruant.

Trigesimoquarto, Vt magistri & doctores in singulis locis, in quibus necessitas occurrit, constituantur, qui liberales artes assidue doceant: & si tales non inueniuntur, tamen diuinæ scripturæ magistri, & institutores ecclesiastici officii nullatenus desint.

Trigesimoquinto, Vt sacerdotes admoneant viros ac mulieres, qui festis diebus ad ecclesiam occurrunt, ne ballando & turpia verba decantando choros teneant ac ducant, similitudi-

nem paganorum peragendo: quia si tales cum minoribus peccatis ad ecclesiam veniunt, cum maioribus reuertuntur. Si vero non cessant admoniti, a communione modis omnibus suspendantur.

Trigesimosexto, Vt nulli liceat, excepta causa fornicationis, vxorem relinquere, & aliam sibi copulare: alioquin conuenit transgressorem sociari priori coniugio. Si autem vir & vxor solummodo pro religiosa vita diuortire inter se consenserint, nullatenus sine conscientia episcopi fiat, vt ab eo singulariter prouiso constituantur loco: nam vxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non soluatur.

Trigesimoseptimo, Vt nulli liceat vno tempore habere vxorem & concubinam: quia cum domi non sit lucrum, animæ fit detrimentum: alioquin ecclesiastica communione videatur indignus; & si perseuerauerit, ab ecclesia penitus amputetur.

Trigesimo octauo, Vt de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, nullus audeat in coniugium copulare:

si quis vero fecerit, & perseuerauerit, sciat se vinculis anathematis innodatum.

Trigesimonono, Vt nullus absolute presbyter ordinetur: & vt iuxta facultatem rerum ecclesiæ, & oblationes vel reditum clerici ordinentur.

Quadragesimo, Vt presbyteri vrbani, & suburbani, & rurales omnes indifferenter ad concilium episcopi veniant, aut canonum correptionibus subiaceant.

Quadragesimoprimo, Vt laicus qui presbyterum sine consensu episcopi proprii sua potestate ecclesiæ cuicumque instituerit, a fidelium communione separetur. Presbyteri, si tertio ab episcopo, vel legato eius de alterius ecclesia recedere admoniti obedire noluerint, proprii officii gradum amittant.

Vltimo vero capitulo immutabiliter præcepit, ne vllus abbas, aut quilibet alius præsumat presbyteros in ecclesiis statuere, nisi qui & sacerdotis gradus licite dare potest, & canonice de neglectis presbyteros increpare. Sed ab his venerabiliter sacer-

dotes ad diuini ministerium officii expetantur episcopis, quibus singulariter & diœceses pertinent, & qui canonice debent ipsis ecclesis præuidere, & præuisas ordinare.

Prædictus Pontifex in prædicta synodo Anastasium presbyterum in aliena diœcesi morantem, & sæpenumero vocatum, demumque excomunicatum, & tamen ad propriam parochiam redire nolentem depositit, & penitus sacerdotali honore priuauit.

Item in eadem synodo monuit, & apostolica auctoritate præcepit, vt vnusquisque episcopus per diœceses & parochias suas, per se & per sacerdotes suos subiectum sibi populum moneat, vt primitias & decimas incunctanter persoluant: has autem dare nolentes, quousque supp leant, a cibo & potu suspendãt. Quod si nec pro hac suspensione supplere curauerint, sancta communione priuentur.

Item in eadem irrefragabiliter affirmando instituit, vt nullus episcoporum vel sacerdotum rem sui tituli vsurpare aut alienare præsumat:

qui autem hoc fecerit, canonicam sine dubio subeat vltionem.

IOANNES PAPÆ VIII epistola CXCVIII ad aliquot Galliarum episcopos, nonnullos huius synodi canones affert, & confirmat.

SANCTISSIMI prædecessores nostri, Stephanus videlicet, Eugenius atque Leo synodali decreto tale nefandum coniugium fieri prohibuerunt, dicentes; *Vt consobrinam, neptem nouercam, fratris vxorem, vel etiam quamlibet de propria cognatione nullus præsumat sibi in coniugio copulare*, &c. Hoc etiam cum illis pariter iubemus, vt nullus propriam relinquat vxorem, & illa viuente alteram sibi sociare præsumat: nec liceat ei vno tempore duas habere vxores, vxoremue & concubinam. Iubemus etiam, vt nulli sacerdotum, nullique laicorum liceat res immobiles sub qualibet occasione a piis & venerabilibus locis subtrahere, & in proprio vsu habere: qui vero

præsumpserit, canonicis subiaceat correctionibus. Vide supra canonem XVI. XXXVII. & XXXVIII.

HINCMARVS REMENSIS opusculo de presbyteris criminosis, quod est XLVII tomo II, harum synodorum canones aliquot profert.

CAP. XI. Et in synodis Romanis Eugenii & Leonis quarti decretum est: *Si quispiam sacerdotum, ideſt, episcopus, presbyter, vel etiam subdiaconus de quacunque femina* &c. vt can. XV.

CAP. XIII. Vnde in synodis Romanis ab Eugenio & Leone quarto celebratis decretum est: *Quanquam sacerdotum testimonium credibile habeatur*, &c. vt can. XIII.

CAP. XXVII. Et in synodis Romanis apostolicorum Eugenii atque Leonis quarti, vbi sacerdotem post condemnationem esse oporteat constitutum est; *Vt sacerdos aut quiuis alius in ordinem ecclesiasticum prouectus* &c. vt can. XIV.

CAP. XXX. Et in synodis Romanis

apostolicorum Eugenii atque Leonis quarti, de peruasione quasi pro parte ecclesiæ facta decretum est, *Vt si quispiam inuasor comprobatus dicat*, &c. vt can. XXII.

Et in eadem synodo decretum est, vt episcopi vniuersique sacerdotes habeant aduocatos: *Quia episcopi, vniuersique sacerdotes* &c. vt can. XIX.

Et item ibi, de his qui aduocatos inuenire nequeunt: *Si enim quispiam sacerdotum fuerit inuentus* &c. vt can. XX.

DE ANASTASII PRESBYTERI titt. B. Marcelli iterata excommunicatione,

Ex annalibus Francicis Bertinianis a Fran. Chesnæo tomo III scriptorum Francicorum nuper publicatis, ad an. Christi DCCCLXVIII.

QVARTA feria post initium quadragesimæ factione Arsenii filius eius Eleutherius filiam Adriani papæ ab alio desponsatam

dolo decepit & rapuit, sibique coniunxit. Vnde idem papa nimium est contristatus. Arsenius ad Ludouicum Imperatorem pergens in Beneuentum infirmitate corripitur, & thesaurum suum in manus Ingelbergæ Imperatricis committens, & vt dicebatur, cum dæmonibus confabulans, sine communione abiit in locum suum. Quo mortuo Adrianus Papa apud Imperatorem missos obtinuit, qui præfatum Eleutherium secundum leges Romanas iudicarent. Isdem vero Eleutherius consilio vt fertur fratris sui Anastasii, quem bibliothecarium Romanæ ecclesiæ in exordio ordinationis suæ Adrianus constituerat, Stephaniam olim vxorem ipsius pontificis, & eius filiam, quam sibi rapuit, iuterfecit: & isdem Eleutherius a missis Imperatoris occisus est. Adrianus vero Papa congregans synodum, supradictum Anastasium hoc modo, sicut subsequitur, post damnationes in eum latas iterum condemnauit.

EXCOMMVNICATIO QVAM FECIT LEO *episcopus de Anastasio presbytero, & postea* ADRIANVS.

HAEC IN IMAGINE IN DEXTERA PARTE SCRIPTA SVNT.

IMPERANTIBVS dominis nostris Lothario & Ludouico Augustis, mensis Decembris die XVI, indictione XIV. Leo episcopus seruus seruorum Dei. Anastasius presbyter cardinis nostri, quem in titulo beati Marcelli ordinauimus, quique secedens ab eo ad alienas parochias absq; nostra pontificali scientia demigratus est; quem per missos & literas nostras vocauimus, & pro quo dominos Imperatores supplicati per missos nostros, vt eum ad suam parochiam redire iuberent: qui nunc illuc latitando in ipsa demigratione per biennium moratus est, & ad duo vocatus concilia nostra minime venit; sed neque inuentus est. Quia vt prædiximus, veluti ouis errans extraneis regionibus suadente diabolo inhabitat; secundum canonica instituta ex Dei

omnipotentis, & beati Petri apoſtoli, noſtraque ſimul apoſtolica auctoritate, ab hodie ſit communione priuatus; donec ipſe meæ ſpeciali præſentiæ in canonico iudicio fuerit præſentatus: & ſi non venerit, nunquam communicet. Poſt Romanum pontificem in hac excommunicatione conſenſerunt archiepiſcopus Rauennatis & Mediolanenſis, aliique numero LXXV.

HAEC IN IMAGINE IN SINISTRA PARTE SCRIPTA SVNT.

LEO epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus epiſcopis, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & vniuerſis clericis, cunctoque populo Chriſtiano. Quod bene ac pleniter nobiſcum ſimul, cariſsimi fratres, ſcitis; nunc iterum pro cautela & memoria temporum futurorum dilectioni veſtræ cognitum eſſe volumus: quomodo inſtigante ac ſuadente diabolo Anaſtaſius presbyter cardinis noſtri, quem nos in titulo beati Marcelli ordinauimus, contra ſtatua pa-

trum propriam ecclesiam deserens, ecce iam per quinquennii tempus per alienas parochias velut ouis errans discurrit. Quem etiam auctoritate suffulti canonica apostolicis literis per tertiam quartamque vicem vocauimus. At vbi redire distulit, duo pro eo episcoporum concilia congregauimus, quorum conuentu cum eius non potuissemus videre vel habere specialem præsentiam, communi eum decreto sancta communione priuauimus: volentes siquidem suam per huius excommunicationis censuram ad gremium sanctæ, a qua discesserat, matris ecclesiæ personam reducere. Sed apostolica monita sanctique concilii pro nihilo ducens, erroris irretitus caligine redire nullatenus voluit. Proinde sicut Rauennæ nobis degentibus de eo in ecclesia beati Vitalis martyris, mense Maio, die XXIX, Indictione prima, ore proprio; nunc iterum in ecclesia beati Petri apostoli mense Iunio, die XIX, Indictione superius annotata, similiter promulgauimus, sit ille a sanctis patribus & a nobis anathe-

ma, & omnes qui ei in electione, quod absit, aut pontificatus honore adiutorium præstare vel solatium quodcunque voluerint, simili anathemate subiaceant. Post Romanum Pontificem in hoc anathemate consenserunt Ioannes archiepiscopus Rauennatis, Nottingus & Singilfredus episcopi domni Imperatoris, & sex episcopi ad prædictum archiepiscopum pertinentes, quorum notitiam non recolimus; & alii tam ex Romana vrbe, quam ex aliis numero LVI. absque presbyteris & diaconibus sanctæ Romanæ ecclesiæ.

SVPER VALVAS ARGENTEAS HAEC SCRIPTA SVNT.

IN nomine patris, & filii, & spiritus sancti, incipit sancta ac veneranda synodus, quæ per domini gratiam, & eius diuinum consilium congregata est in ecclesia beati Petri apostoli, anno scilicet pontificatus sanctissimi ac coangelici & vniuersalis quarti Papæ Leonis septimo, atque inuictissimorum Lotharii ac Ludouici

Imperatorum anno Imperii quadrageſimo ſecundo, menſe Decembri, die VIII, Indictione II. In hac ſiquidem ſancta ac venerabili ſynodo domini ſolatiante gratia nobiliter celebrata, poſt diuerſas epiſcoporum ſacerdotumque vel clericorum, atque omnium Chriſtianorum pias ac ſalutiferas admonitiones & exhortationes, depoſitus eſt iuſte atque canonice Anaſtaſius presbyter tituli ſancti Marcelli, eo quod contra auctoritatem canonicam propriam parochiam deſeruiſſet per annos ſcilicet quinque, & in aliena ad vſque hodie demoratur. Et neque vocatus, neque excommunicatus, & ad vltimum anathematizatus, ſicut de eo in hac ſynodo veridica pictura demonſtrat, ad congregata duo pro eo epiſcoporum concilia venire noluit. Ideo tam a ſummo Pontifice, quamque ab vniuerſis epiſcopis tunc ſynodo reſidentibus, videlicet numero LXVII. ob ſuam ſtultam audaciam merito, vt prædiximus, eſt depoſitus, & ſacerdotali honore priuatus, anno deniq; menſe ac die, atq; indict. vt ſupra.

HVC VSQVE LEO PONTIFEX SCRIBI IVSSIT.

POST mortem vero iam dicti Leonis dignæ memoriæ præsulis, ipse anathematizatus atque depositus Anastasius, seculari potentia rediens ab abditis, quibus sicut fur latitauerat locis, diabolica fraude seductus, inretitusque caligine, latronum more hanc quam non debuerat introire ecclesiam inuasit; velut ethnicus atque barbarus, ad perditionem suæ animæ atque periculum, huius venerandæ synodi cum suis nequissimis consentaneis atque sequacibus picturam destruxit, imaque deiecit. Quam beatissimus Papa Benedictus atque egregius restaurauit, & lucifluis coloribus decorauit.

ADRIANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

OMNI Dei ecclesiæ notum est, quid Anastasius tempore prædecessorum nostrorum pontificum gesserit; sed & qualiter ab eis de illo

sanctæ recordationis Leo & Benedictus eximii præsules instituerint, palam est cunctis. Quorum vnus eum deposuit, excommunicauit, & anathematizauit: alter vero sacerdotalibus expolians vestimentis inter laicos in communione recepit. Decessor itaque noster sanctissimus Papa Nicolaus eum postea, si fideliter erga sanctam Romanam ecclesiam incederet, in gremio pari modo recepisset ecclesiæ. Sed infidelitas eius nunc in tantum apparuit, vt post deprædationem patriarchii nostri, ablationemque synodalium scripturarum, quas tàm super se, quam super huiusmodi a sanctissimis præsulibus diuersis temporibus decretas repererat; institutionem quoque venerandæ synodi ab ipsis sanctis pontificibus factam, atque sub interpositione anathematis retactam, violari nobis subripiendo fecerit: & homines ad seminandum inter piissimos principes & ecclesiam Dei discordias, per muros huius ciuitatis more furis exire coëgerit: quendamque Adalgrimum ad ecclesiam confugium facientem oculis &

lis & lingua priuari ſuggeſſerit. Modo vero, ſicut multi veſtrum mecum a quodam presbytero conſanguineo eius nomine Adone audiſtis, & aliis modis nobis reuelatum eſt, beneficiorum quoque noſtrorum immemor hominem ad Eleutherium miſit, exhortans homicidia perpetrari, quæ ſicut ſcitis, proh dolor, facta ſunt. Et ideo pro his omnibus, & pro aliis multis, quibus eccleſiam domini perculit atque læſit, quam etiam ſubdolis machinationibus hactenus tundere non deſiſtit, auctoritate Dei omnipotentis, omniumque ſanctorum patrum, ac venerandorum conciliorum, prædictorumque pontificum, ſimul & iudicii noſtri ſententia ſancimus, illum eundem Anaſtaſium eſſe tenendum, quemadmodum de eo iidem domni pontifices Leo & Benedictus ſolemniter & ſynodice ſtatuerunt; nihil in eius anathemate vel cauſſa penitus adiungentes vel minuentes, niſi vt omni communione eccleſiaſtica priuatus exiſtat; donec de omnibus quibus impetitur, nobis coram ſynodo rationem ponat; & qui

cum eo in locutione, cibo, vel potu communicauerit, pari excommunicatione cum eo teneatur annexus. Quia pro eo quod altiora se petens, quod sibi toticns interdictum fuerat, temere vsurpauit, ac vetitum locum conscendit, satis nostra ecclesia murmurauit, & murmurat. Sane si vel ab vrbe Roma quantisper discesserit; vel sacerdotium, vel clericalem aliquem ordinem siue ministerium quodlibet repetere aut recipere præsumserit; quia contra statuta præfatorum præsulum, contraque iusiurandum quod pollicitus est, nunquam se ab Vrbe plus XL millibus abscessurum, sacerdotium, vel gradum clericalis esse ministerii petiturum, facere videbitur; cum omnibus fautoribus, consentaneis & sequacibus suis anathemate perenni subiaceat. Prolata in conspectu totius S. Ro. ecclesiæ ante hunc eundem Anastasium apud S. Praxedem positum, anno pontificatus domni Adriani summi pontificis & vniersalis papæ II, per IV Idus Octob. Indict. II.

EXPLICIT SYNODVS LEONIS IV.

IOANNIS PAPAE VIII SYNODVS RAVENNAE HABITA cum CXXX episcopis anno Christi DCCCLXXVII, mense Augusto, Ind. x.

Ad disciplinam & immunitatem ecclesiasticam restituendam.

HIERONYMVS RVBEVS HISTORIAE Rauenn. libro v. ad annum DCCCLXXVII.

IOANNES Pontifex cum postulatum ab Carolo Caluo subsidium tardius expediretur, iam enim redierat in Galliam Carolus, Rauennam ire constituit. Itaque & eo indixit episcopis conuentum, & ad Ioannem archiepiscopum scripsit, id se decreuisse, tum quod ab improbis Christi fidelibus vexaretur, tum quod multis in rebus indigeret emendationis ecclesia. Quoniam vero nullus esset ad hac peragenda locus Rauenna aptior, rogare vt eo cum suis subiun-

Etis episcopis accurrere velit ad VIII *Kalend. Iulias. Mox Vrsum Venetiarum ducem scriptis* VI *Kal. Iunias literis admonuit, vt eo adesset.* XIII *vero Kal. Augusti se Rauennam omni spreto incommodo itineris significauit habendi conuentus gratia concessse, eumque Kal. Augusti inchoaturum. Conuentu inde peracto, cuius ad nos acta non peruenerunt, vt maturius Caluum de instanti bello consuleret, Rauenna egressus ad eum iter intendit.*

Videndæ IOANNIS VIII. epistolæ LIII. LV. LVI. LVII. LIX. LX. quibus episcopi ad hanc synodum celebrandam conuocantur.

CAPITVLA STATVTORVM.

I. *Vt metropolitani intra tres menſes fidem ſuam apud ſedem apoſtolicam exponant, & pallium petant.*

II. *Vt epiſcopi electi intra tres menſes a metropolitano ſuo conſecrentur.*

III. *Vt metropolitani non niſi ſtatutis temporibus pallio vtantur.*

IV. *Vt Duces epiſcopos non præſentent, nec ipſos aliaſque eccleſiaſticas perſonas concutiant.*

V. *Vt qui domum Dei violauerit, & inde quid abſtulerit, communione priuetur.*

VI. *Vt raptores niſi raptas reſtituant communione priuati etiam anathemate percellantur.*

VII. *Vt homicidæ & incendiarii niſi publice ſatisfecerint poſt excommunicationem etiam anathematizentur.*

VIII. *Vt prædones, ſi bis terue admoniti non emendauerint, præter excommunicationem etiam anathemate feriantur.*

IX. *Vt excommunicatorum fautores & ipſi communione priuentur.*

X. *Vt epiſcopi nomina excommunica-*

torum publice affigi curent.

XI. Vt ecclesiastico iudicio obnoxiis refugium præstantes & ipsi excommunicentur.

XII. Vt nemo se parochiæ propriæ conuentui vltra tres dies dominicos subtrahat.

XIII. Vt magistratus sæculares ab episcopis & clericis conuenti, querimonias eorum diligenter examinent & corrigant.

XIV. Vt presbyter non nisi ad certum locum ordinetur.

XV. Vt nemo patrimonia Romanæ ecclesiæ petat, & si quis quomodolibet subtraxerit, anathema sit.

XVI. Item de eadem re.

XVII. Vt nemo res ecclesiæ Romanæ beneficiali more aut scripto petere vel retinere audeat.

XVIII Vt sæculares in domibus ecclesiarum neque placitum neque hospitium sibi vindicent.

XIX. Quod decimæ tantum sacerdotibus parochiarum dari debent.

INCIPIVNT STATVTA SYNODI APVD RAVENNAM.

CAP. I. *Vt metropolitani intra tres menſes fidem ſuam apud ſedem apoſtolicam exponant & pallium petant.*

QVISQVIS metropolitanus intra tres menſes conſecrationis ſuæ ad fidem ſuam exponendam palliumque ſuſcipiendum ab apoſtolica ſede nulla ineuitabili neceſſitate imminente non miſerit, commiſſa ſibi careat dignitate; ita vt tamdiu epiſcopali illi ſedi cedat, omnique conſecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide & in expetendo pallio priſcum morem contẽpſerit. Sit licentia metropolitanis alijs poſt ſecundam & tertiam commonitionẽ viduatis eccleſiis cum conſilio Romani pontificis ordinando epiſcopum ſubuenire. Deusd. l. cap. 135.

CAP. II. *Vt episcopi electi intra tres menses a metropolitano suo consecrentur.*

SI vero consecrandi episcopi negligentia prouenerit, vt vltra tres menses ecclesia viduata consistat, communione priuetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum præbere non differat. Quod si vltra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam ecclesiam, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat: imo metropolitani sui iudicio cedat.

CAP. III. *Vt metropolitani non nisi statutis temporibus pallio vtantur.*

lib. 1. c. 111. QVICVNQVE sane metropolitanorum per plateas vel in litaniis vti pallio præsumpserit, & non tantum in præcipuis festiuitatibus, & ab apostolica sede indicti

temporibus ad missarum solummodo solemnia, careat illo honore: & prout beatus papa Gregorius ad Ioannem Panormitanum episcopum, & Marinianum scribit Rauennatem episcopum, qui graue iugum atque vinculum ceruicis non pro ecclesiastica, sed pro quadam sæculari dignitate defendit, permissa qua abutitur dignitate careat: quoniam iure priuilegium meretur amittere, qui audacter vsurpat illicita.

CAP. IV. *Vt Duces episcopos non præsentent, nec ipsos aliasque ecclesiasticas personas concutiant.*

NVLLI Ducum liceat quemlibet episcopum in præsentiam Romani præsulis introducere, vel census ab eo sumptus publicos, seu dona quælibet exigere: sed nec coram laicis episcopũ obiurgare con-

cedimus. Clericos & sanctimoniales, pupillos & viduas sub tutela episcoporum esse decernimus, & eos ad sæcularia iudicia trahi modis omnibus interdicimus. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem excommunicandum esse decernimus: perseuerantem vero anathematis vinculo innodandum.

CAP. V. *Vt qui domum Dei violauerit, & inde quid abstulerit, communione priuetur.*

Deusd. l. 3. c. 49. Ansel. l. 5. c. 52.

SI quis domum Dei violauerit, & aliqua sine licentia illius cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit, vel ecclesiasticis personis iniuriam fecerit, donec conuentus & admonitus legitime satisfaciat, sciat se communione fore priuatum. Si vero post secundam & tertiam conuentionem coram episcopo satisfacere detrectauerit, sa-

crilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur: ita vt secundum apostolum nemini fidelium misceatur. 1.Cor. 5,11.

CAP. VI. *Vt raptores nisi raptas restituant communione priuati etiam anathemate percellantur.*

QVICVNQVE sanctimonialem, siue quamcunque feminam in matrimonium vel concubinatum rapuerit, donec eam coram episcopo ciuitatis parentibus vel ciuibus restituat, cum omnibus fautoribus suis excommunicatum se esse cognoscat. Si vero post secundam & tertiam conuentionem, quam rapuit sub satisfactione congrua non reddiderit, tanquam anathematizatus ab omni Christianorum consortio repellatur. Raptas enim nec immerito dicimus, quæ sine consensu parentum, vel ciuitatis

episcopi, aut ipsæ vltro diffugiunt, aut nolentes ab aliis abducuntur.

CAP. VII. *Vt homicidæ & incendiarii nisi publice satisfecerint post excommunicationem etiam anathematizentur.*

SI quis homicidium, membrorum truncationem, domorum incendia fecerit, aut fieri iusserit, aut facienti consenserit, quousque de his legaliter vel amicabiliter coram episcopo ciuitatis, aliisque ciuibus non emendauerit, ab ecclesia priuatum se esse agnoscat. Si ergo post secundam & tertiam conuentionem cuncta in quibus arguitur non emendauerit, tanquam ethnicus & publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.

CAP. VIII. *Vt prædones si bis terue admoniti non emendauerint prater excommunicationem etiam anathemate feriantur.*

PORRO de his, qui deprædationes fecerint, aut facere iusserint, vel facienti consenserint, instituimus, vt si ab episcopo ciuitatis admoniti minime resipuerint, XL dies pane & aqua contenti, reliquis cibis & potibus sint omnino priuati. Quod si hanc excommunicationem suspicati fuerint violasse, satisfaciant episcopo, quod illam non violauerint: sicque demum si conuicti fuerint hanc violasse, non solum quod vnicuique arguuntur feciſſe emendent; sed etiam bis aut ter commoniti si se non correxerint, ab omni communione priuati sint. Si vero post secundam & tertiam commonitionem cuncta, in quibus arguuntur, perfecte non

emendauerint, anathematis sententia se nouerint obligatos.

CAP. IX. *Vt excommunicatorum fautores & ipsi communione priuentur.*

HI sane qui ante audientiam communicare tentauerint, donec per pœnitentiam reatum suum deleant, ad communionem nullo modo reducantur, excepto mortis vrgente periculo. Qui vero excommunicato scienter communicauerit, vel communicauit, & amodo saltem in domo simul orauerit, atque latebras defensionis ne cominus ad satisfactionem perducatur præbuerit, donec ab excommunicatore pœnitentiam suscipiat, corporis & sanguinis domini communione se priuatum esse cognoscat. Quincunque ergo intra anni spatium humiliter, siue publice causam suam coram suis

excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi audientiæ aditum clausisse videantur. Quod si obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos illorum causam iuxta beati Leonis prædecessoris nostri sententiam diuino iudicio reseruantes, quibus viuis non communicauimus, mortuis communicare non possumus.

CAP. X. *Vt episcopi nomina excommunicatorum publice affigi curent.*

CVRAE sit omnibus episcopis excommunicatorum nomina omnino tam vicinis episcopis, quam suis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus ecclesiæ cunctis conuenientibus inculcare: quatenus in vtraque diligentia, & excommunicatis ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omni- lib 4. c. 102.

bus auferatur. Si quis sane venerabilium episcoporum vel sacerdotum in hac re districtissime non vigilauerit, & in aliquo conniuerit, quo minus ecclesiasticæ seueritatis inuectio circa personas delinquentium conseruetur, donec coram prouinciali synodo satisfiat, a communione sciat se esse suspensum. Si vero post tertiam conuentionem in sua negligentia manserit, canonico iudicio subiacebit.

CAP. XI *Vt ecclesiastico iudicio obnoxiis refugium præstantes & ipsi excommunicentur.*

ILLOS autem qui pro diuersis suis excessibus se conueniendos legaliter timent, aliumque senioratum confugiunt, & ibi peiora prioribus operantur, iubet vt a nemine suscipiantur, donec sub prioris domini districtione satisfaciant cunctis

cunctis, quibus deliquerat. Si vero prius susceptí fuerint, cum suo susceptore communione priuentur.

CAP. XII *Vt nemo se parochiæ propriæ conuentui vltra tres dies dominicos subtrahat.*

VERVM quia sunt plerique qui prolationem sententiæ subterfugere cupientes, a matricialibus ecclesiis vel baptismalibus se subducunt; placuit, vt hi intra regionem positi, si a publicis ecclesiarum se conuentibus vltra tres dies dominicos voluntarie sententiam subterfugiendo subtrahunt, donec sub satisfactione se corrigendos adstruant, communione priuentur. l.3.c.50.

CAP. XIII *Vt magistratus sæculares ab episcopis & clericis conuenti, querimonias eorum diligenter examinent & corrigant.*

ADMINISTATORES plane sæcularium dignitatum, qui l.4.c.51.

ad ecclesiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapaciumque refrenationem constituti esse procul dubio debent, quotiens ab episcopis & ecclesiasticis viris conuenti fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & secundum quod necessitas expetierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant. Quod si dei timorem præ oculis non habentes negligere post secundam & tertiam admonitionem inuenti fuerint, omni se nouerint communione vsque ad condignam satisfactionem priuatos.

CAP. XIV *Vt presbyter non nisi ad certum locum ordinetur.*

QVI presbyterum ordinare necessarium ducit, deputet eum ecclesiæ in qua Domino seruiens iugiter perseueret.

CAP. XV. *Vt nemo patrimonia Romanæ ecclesiæ petat, & si quis quomodolibet subtraxerit, anathema sit.*

AVCTORITATE summi iudicis domini nostri Iesu Christi & principum apostolorum Petri & Pauli simul & omnium sanctorum præcipimus, decernimus, & modis omnibus interdicimus, vt amodo & deinceps nullus quilibet homo petat patrimonia sanctæ nostræ ecclesiæ: Appiæ videlicet, & Lauicanense, vel Campaninum, Tiburtinum, Teatinum, vtrumque Sabinense & Tusciæ, porticum sancti Petri, monetam Romanam, ordinaria & actionarica publica, ripam, portus, & Ostiam. Sed hæc omnia in vsum salarii sacri palatii Lateranensis perpetualiter maneãt, ita vt solitos reditus & angarias perpetualiter absque vlla contradictione persoluant. Et si quis hæc be- Deusd. l. 3, c. 51. Ansel. l. 4. c. 31.

neficialiter, vel alio quolibet modo subtrahere quouis tempore voluerit anathema sit. *Et infra*. Exceptis his quos familiares vel nostros vel nostrorum successorum esse ratio proficua euidentissime demonstrauerit. Quod si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpserit, scilicet eadem patrimonia sanctæ Romanæ ecclesiæ beneficiali seu quolibet more sibi amodo dari petierit, aut volenti dare consenserit, & qui dat & qui recipit, anathema sit.

CAP. XVI. *Item de eadem re.*

ibid. c. 53. SI quis de massis siue de colonis eorumdem patrimoniorum sancti Petri apostoli, de quibus hactenus nulla concessionis conscriptio reperitur, aut præcepta sibi fieri postulauerit, aut postulanti aut suadenti consenserit; Ananiæ &

Saphiræ, qui de propriis mentientes ante pedes apostolorum expirauerunt, pœna mulctetur. Et non solum is apud quem de prædictis rebus præcepti alicuius series inuenta fuerit, res illas cum frugibus, quibus ex eis abusus est, ex toto restituat, sed & eadem scriptura cassata nihil per illum proficiat: verum etiam cum omnibus sibi consentientibus perpetuo anathemate perculsus, cum Iuda traditore domini nostri Iesu Christi æterni ignis incendiis exuratur.

CAP. XVII *Vt nemo res ecclesiæ Romanæ beneficiali more aut scripto petere vel retinere audeat.*

ITEM apostolica auctoritate præcipimus & sancimus, vt amodo & deinceps nullus cuiuslibet gentis vel ordinis homo monasteria, cortes, massas & salas, tam per Ra- 1.3.c.54.

uennam, & Pentapolim, & Æmiliam, quam & per Tuſciam Romanorum atque Longobardorum, & omne territorium ſancti Petri apoſtoli conſtitutas, præſumat beneficiali more, aut ſcripto aut aliquolibet modo petere, recipere, vel conferre: exceptis illis dumtaxat, quibus pro vtilitatibus & ſpeciali ſeruitio ſanctæ Romanæ eccleſiæ vel ducatus vniuſcuiuſque loci habitatoribus præbetur, vel ad noſtra diſpenſanda conſtituti ſunt vel conſtituentur. Quod ſi quiſquam huic noſtro ſtatuto contraire tentauerit, & de præfatis quibuslibet alicuius modi ſcriptum ſibi fieri poſtulauerit, aut etiam beneficiali more ea retinere præſumpſerit, excepta diſpenſatione apoſtolica, quæ ad augmentum & ſeruitium ſanctæ Romanæ eccleſiæ eſſe probatur, ſtatuimus vt non ſolum ſcri-

ptura illa cassata nullum robur obtineat firmitatis, sed etiam fruges ex eis quibus vsus, omnino restituens nihil ex hac ambitione vel beneficiis ipsis lucratus anathemati subiaceat.

CAP. XVIII. *Quod decimæ tantum sacerdotibus parochiarum dari debent.*

DECIMAS vnumquemque fidelem illi sacerdoti dare censuimus in cuius parochia eum procul dubio constat sub episcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab episcopo suo est constitutus, manere. Et ideo nullum alterius diœceseos sacerdotem aut leuitam alteri iure canonum debita huiusmodi audere impudenter vel temere quærere aut accipere donationem. Eum vero qui aliter dare vel accipere præsumpserit, ecclesiastica communione tamdiu

iudicamus manere priuatum, donec secundum hoc nostræ apostolicæ auctoritatis capitulum studuerit agere.

CAP. XIX *Vt seculares in domibus ecclesiarum neque placitum neque hospitium sibi vindicent.*

IN domibus ecclesiarum neque missus, neque comes vel iudex, quasi pro consuetudine neque placitum neque hospitium vindicent: sed in publicis rebus domos restituant, in quibus placitum teneant, & secundum antiquam consuetudinem hospitentur.

EXPLICIT SYNODVS IOANNIS VIII RAVENNAE HABITA.

VRBANI PAPAE II
SYNODVS PLACENTIAE
habita anno Christi MXCV
circa mediam quadragesimam
qua simoniacas & schismaticas
ordinationes rescindit.

CARD. BARONIVS anno MXCV vbi synodi Placentinæ historiam ex Bertholdo Constantiense narrauit, subiungit eiusdem concilii quindecim canones contineri in codice scripto Anselmi Lucensis libro VII decretorum. Qua in re eum memoria vel potius amanuensium oscitantia fefellit. Neq; nim canones illos Placentinos in suam collectionem referre potuit Anselmus, qui nouennio ante decesserat: nec Vaticani codices citato libro VII, vel alibi eosdem agnoscunt. Tum vero XIV tantum capitula statutorum libri probatissimi bibliothecæ Vaticanæ referunt; vbi Baronii schedæ septimo in duo uale divulso XV exhibent: quod obiter monendum existimaui, ne forte tanti viri auctoritas nostræ editionis fidem ambiguam reddat.

INCIPIVNT ACTA SYNODI.

ANNO dominicæ incarnationis MXCV, Ind. III. celebrata est Placentiæ synodus præsidente domino Vrbano Papa, cum episcopis & Abbatibus, tam Galliarum, quam & Longobardiæ & Tusciæ. Facta autem magna est consultatio de his qui in schismate Guibertino fuerant ordinati. Et primo quidem ac tertio die in campo concilium sedit. Tantus enim conuenerat populus, vt nulla eos ecclesia caperet: exemplo quidem Moysi deuteronomium commendantis, & domini nostri Iesu Christi docentis in loco campestri. Septimo tandem die post tractationem diutinam hæc sunt capitula prolata, assensu totius concilii comprobata.

CAPITVLA STATVTORVM.

CAP. I. EA, quæ a sanctis patribus de simoniacis statuta sunt, nos quoque iudicio eorum & apostolica auctoritate firmamus.

CAP. II. Quidquid igitur in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus vel data vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas vmquam vires obtinere censemus.

CAP. III. Si qui tamen a simoniacis non simoniace ordinati sunt, si quidem probare potuerint, se cum ordinarentur eos nescisse simoniacos, & tum pro catholicis habebantur in ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen laudabilis eos vita commẽdat.

CAP. IV. Qui vero scienter se a simoniacis consecrari, imo execrari passi sunt, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus.

CAP. V. Quicumque sane cupiditate parentum cum adhuc paruuli essent ecclesias vel ecclesiarum partes per pecunias adepti sunt, postquam eas omnino dimiserint; si canonice in eis viuere voluerint, pro misericordia ibidem eos esse censemus. Neque pro hoc facto a sacris ordinibus remouemus, si alias digni inueniantur.

CAP. VI. Illi vero qui per se ipsos cum maioris essent ætatis, nefanda cupiditate ducti eas emerunt, si in aliis ecclesiis canonice viuere voluerint, seruatis propriis ordinibus pro magna misericordia ibi eos ministrare permittimus. Quod si

ad alias transferri fortaſſe non poterunt, & in eis canonice viuere promiſerint, minoribus ordinibus contenti ad ſacros ordines non accedant. Salua tamen in omnibus apoſtolicæ ſedis auctoritate.

CAP. VII. Si qui tamen ante emptionem catholice ordinati ſunt, ſi ea quæ emerunt dimiſerint, & vitam canonicam egerint, in ſuis gradibus permittantur. Niſi forte eiuſmodi eccleſia ſit, vt ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim vel ſingularem, vel præpoſituræ locum in emptis eccleſiis eos habere non patimur.

CAP. VIII. Ordinationes quæ a Guiberto hæreſiarcha factæ ſunt, poſtquam ab apoſtolicæ memoriæ papa Gregorio & a Romana eccleſia eſt damnatus, irritas eſſe iudicamus.

CAP. IX. Similiter etiam & ea quæ a cæteris hæresiarchis nominatim excomunicatis factæ sunt, & ab eis, qui catholicorum adhuc viuentium episcoporum sedes inuaserunt: nisi probare valuerint, se cum ordinarentur eos nescisse damnatos.

CAP. X. Qui vero ab episcopis quondam quidem catholice ordinatis, sed in schismate a Romana ecclesia separatis, consecrati sunt; eos nimirũ cum ad ecclesiæ vnitatẽ redierint, seruatis propriis ordinibus misericorditer suscipi iubemus, si vita & scientia eos commendat.

CAP. XI. Amodo vero quicumque a prædictis schismaticis, sanctæque Romanæ ecclesiæ aduersariis se ordinari permiserit, nullatenus hac venia dignus habeatur.

CAP. XII. Quamuis autem misericordiæ intuitu, magnaque necessitate cogente, hanc in sacris ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen præiudicium sacris canonibus fieri volumus; sed obtineant proprium robur. Et cessante necessitate illud quoque cesset quod factum est pro necessitate. Vbi enim multorum strages iacet, subtrahendum est aliquid seueritati, vt demus amplius caritati.

CAP. XIII. Illud quoque præcipimus, vt pro chrismate, & baptismo, & sepultura nihil vmquam exigatur.

CAP. XIV. Statuimus etiam, vt ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur. Primum ieiunium in initio quadragesimæ; se-

cundum in hebdomada pentecoſtes; tertium & quartum in ſeptembri & decembri more ſolito fiant.

EXPLICIT SYNODVS PLACENTINA VRBANI PAPAE II.

PONTIFICVM *Romanorum ſynodis conſtitutiones Imperatorum eiuſdem ſæculi & argumenti ſubiungimus.*

CAPI-

CAROLI MAGNI CAPITVLATIO DE PARTIBVS SAXONIAE.

HAEC DE PARTIBVS SAXONIAE CONSTITVTA SVNT.

PRIMVM de maioribus capitulis hoc placuit omnibus, vt eccleſiæ Chriſti, quæ modo conſtruuntur in Saxonia, & Deo ſacratæ ſunt, non minorem habeant honorem, ſed maiorem & excellentiorem, quam vana habuiſſent idolorum.

I CAPIT. Si quis confugium fecerit in eccleſiam, nullus eum de eccleſia per violentiam expellere præſumat, ſed pacem habeat vſque dum ad placitum præſentetur; & propter honorem Dei, ſanctorumque eccleſiæ ipſius reuerentiam,

concedatur ei vita & omnia membra. Emendet autem causam, in quantum potuerit, & ei fuerit iudicatum, & sic ducatur ad præsentiam domini regis, & ipse eum mittat, vbi clementiæ ipsius placuerit.

II. Si quis ecclesiam per violentiam intrauerit, & in ea per vim vel furtum aliquid abstulerit, vel ipsam ecclesiam igne cremauerit, morte moriatur.

III. Si quis sanctum quadragesimale ieiunium pro despectu Christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur a sacerdote, ne forte causa necessitatis hoc ciuilibet proueniat vt carnem comedat.

IV. Si quis episcopum, aut presbyterum, siue diaconum interfecerit, similiter capite punietur.

V. Si quis a diabolo deceptus crediderit, secundum morem pa-

ganorum, virum aliquem aut feminam ſtrigam eſſe, & homines comedere; & propter hoc ipſam incenderit, vel carnem eius ad comedendum dederit; vel ipſam comederit, capitis ſententia punietur.

VI. Si quis corpus defuncti hominis ſecundum ritum paganorum flamma conſumi fecerit, & oſſa eius ad cinerem redegerit, capite punietur.

VII. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus ſe abſcondere voluerit, & ad baptiſmum venire contempſerit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur.

VIII. Si quis hominem diabolo ſacrificauerit, & in hoſtiam more paganorum dæmonibus obtulerit, morte moriatur.

IX. Si quis cum paganis conſilium aduerſus Chriſtianos inierit,

vel cum illis in aduersitate Christianorum perdurare voluerit, morte moriatur: & quicunque hoc idem fraude contra regem vel gentem Christianorum consenserit, morte moriatur.

X. Si quis domino regi infidelis apparuerit capitali sententia punietur.

XI. Si quis filiam domini sui rapuerit, morte moriatur.

XII. Si quis dominum suum vel dominam suam interfecerit, simili modo punietur.

XIII. Si quis vero pro his mortalibus criminibus latenter commissis aliquis sponte ad sacerdotem confugerit, & confessione data agere pœnitentiam voluerit, testimonium sacerdotis de morte excuset.

XIV. De minoribus capitulis consenserunt omnes, ad vnamquamque ecclesiam curtem &

duos manſos terræ pagenſes ad eccleſiam recurrentes condonent: & inter centum viginti homines nobiles & ingenuos, ſimiliter & litos, ſeruum & ancillam eidem eccleſiæ tribuant.

XV. Et hoc Chriſto propitio placuit, vt vndecunque cenſus aliquid ad fiſcum peruenerit, ſiue in frido, ſiue in qualicunque banno, & in omni redibutione ad regem pertinens, decima pars eccleſiis & ſacerdotibus reddatur.

XVI. Similiter ſecundum Dei mandatum præcipimus, vt omnes decimam partem ſubſtantiæ & laboris ſui eccleſiis & ſacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui, ſimillter & liti: iuxta quod Deus vnicuique dederit Chriſtiano, partem Deo reddant.

XVII. Vt in dominicis diebus conuentus & placita publica non fa-

ciant, nisi fortè pro magna necessitate, aut hostilitate cogente; sed omnes ad ecclesiam recurrant ad audiendum verbum Dei; & orationibus vel iustis operibus vacent. similiter & in festiuitatibus præclaris Deo & ecclesiæ conuentui deseruiant, & sæcularia placita dimittant.

XVIII. Similiter placuit his decretis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizentur. Et hoc statuimus, vt si quis infantem intra circulum anni ad baptismum offerre contempserit, sine consilio vel licentia sacerdotis, si de nobili genere fuerit CXX. sol. fisco componant, si ingenuus LX. si litus XXX.

XIX. Si quis prohibitum vel illicitum coniugium sibi sortitus fuerit, si nobilis sol. LX. si ingenuus XXX. si litus XV.

XX. Si quis ad fontes, aut arbo-

res, vel lucos votum fecerit, aut aliquid more gentilium obtulerit, & ad honorem dæmonum comederit, si nobilis fuerit sol. LX. si ingenuus XXX. si litus XV. Si vero non habuerint vnde præsentialiter persoluant, ad ecclesiæ seruitium donentur; vsq; dum ipsi solidi soluuntur.

XXI. Iubemus vt corpora Christianorum Saxonum ad cœmiteria ecclesiæ deferantur, & non ad tumulos paganorum.

XXII. Diuinos & sortilegos ecclesiis & sacerdotibus dare constituimus.

XXIII. De latronibus & malefactoribus, qui de vno comitatu ad alium confugium fecerint, si quis eos receperit in sua potestate, & VII noctibus secum detinuerit, nisi ad præsentandum, nostrum bannum soluat. Similiter si comes eum absconderit, & ad iustitiam faciendam

præsentare noluerit, & ad hoc excusare non potest, honorem suum perdat.

XXIV. De pignore, vt nullatenus alterum aliquis pignorare præsumat; & qui hoc fecerit, bannum persoluat.

XXV. Vt nulli hominum contradicere viam ad nos veniendo pro iustitia reclamandi aliquis præsumat: & si aliquis hoc facere conauerit, nostrum bannum persoluat.

XXVI. Si quis homo fideiussorem inuenire non potuerit, res illius in forbanno mittantur, vsquedum fideiussorem præsentet. Si vero super bannum in domum suam intrare præsumpserit, aut sold. x. aut vnum bouem pro emendatione ipsius banni componat; & insuper vnde debitor exstitit, persoluat. Si vero fideiussor diem statutum non obseruauerit, tunc ipse tantum

damni incurrat, quantum manus sua fideiussoris extitit. Ille autem qui debitor fideiussori exstitit, duplum restituat pro eo, quod fideiussorem in damnum cadere permisit.

XXVII. De præmiis & muneribus, vt munera super innocentem nullus accipiat: & si quis hoc facere præsumpserit, nostrum bannum soluat. Et si, quod absit, forte comes hoc fecerit, honorem suum perdat.

XXVIII. Vt vniuersi comites pacem & concordiam adinuicem habere studeant. & si forte inter eos aliqua discordia aut conturbium ortum fuerit, vt nostrum solatium vel perfectum pro hoc non demittant.

XXIX. Si quis comitem interfecerit, vel de eius morte consiliũ dederit, hereditas illius ad partem regis cueniat, & in ius eius redigatur.

xxx. Dedimus potestatem comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel maioribus causis in sold. LX. De minoribus vero causis comitis bannum in sol. XII constituimus.

XXXI. Si cuilibet homini sacramentum debet, aframeat illum ad ecclesiam sacramento ad diem statutum: & si iurare contempserit, fidem faciat, & sold. XV componat qui inactiuus apparuit, & deinceps causam pleniter emendare faciat.

XXXII. De periuris secundum legem Saxonum sit.

XXXIII. Interdiximus vt omnes Saxones generaliter conuentus publicos nec faciant, nisi forte missus noster de verbo nostro eos congregare fecerit. Sed vnusquisque comes in suo ministerio placita & iustitias faciat, & hoc a sacerdotibus considereturr, ne aliter faciat.

ALIVD CAPITVLARE.

ANNO ab incarnatione domini noſtri Ieſu Chriſti DCCXCVII. & XXX ac XXII, regnante domno Carolo præcellentiſsimo rege, conuenientibus in vnum Aquis palatio in eius obſequio venerabilibus epiſcopis & abbatibus, ſeu illuſtri bus viris comitibus V. KAL. Nouemb. ſimulque congregatis Saxonibus de diuerſis pagis tam de Veſtfalahis & Angrariis, quam & de Ooſtfalahis, omnes vnanimiter conſenſerunt & aptificauerunt, vt de illis capitulis, pro quibus Franci, ſi regis bannum tranſgreſsi ſunt, ſolidos LX componunt, ſimiliter Saxones ſoluent, ſi alicubi contra ipſos bannos fecerint.

HAEC SVNT CAPITVLA.

I CAPIT. Vt eccleſiæ, viduæ, orfani, & minus potentes iuſtam & quietam pacem habeant; & vt

raptum, & fortiam, nec incendium infra patriam quis facere audeat præsumptiue, & de exercitu nullus super bannum domini regis remanere præsumat.

II. Si quis supradicta VIII capitula transgressus fuerit, omnes statuerunt & aptificauerunt, vt Saxones similiter sicut & Franci LX sol. componant.

III. Item placuit omnibus Saxonibus, vt vbicunque Franci secundum legem sol. XII soluere debent, ibi nobiliores Saxones sol. XII. ingenui V. liti IV. componant.

IV. Hoc etiam statuerunt, vt qualiscumque causa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses sol. XII pro districtione recipiant, & pro Vvargilda, quæ iuxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem

in præsentia missorum regalium causæ definitæ fuerint, pro iam dicta Vvargilda suprascriptos sol. xii ipsis pagenses habeant concessos: & pro hoc quia missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios xii sol. inde recipiat ad partem regis. Si autem ipsa causa ad palatium in præsentia regis ad definiendum fuerit perducta, tunc vtrique solidi xii. id est pro Vvargilda, & quod vicinis debuit componere, eo quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem regis faciant componere, quod sint solidi xxiv. Nam si fuerit aliquis qui in patria, iuxta quod sui conuicini indicauerint, seque pacificare noluerit, & ad palatium pro huius rei causa venerit, & ibi ei fuerit iudicatum quod iustum iudicium iudicassent, in prima vice, vt supra dictum est, sol. xxiv. ad partem regis componat. Et si tunc

inde rediens se pacificare & iustitiam facere renuerit, & iterum pro ista causa ad palatium fuerit conuocatus & deiudicatus, bis XXIV. solidos componat. Si vero necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remeauerit, triplam compositionem exinde faciat ad partem regis.

V. Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus venire contempserit, sol. IV componat, ingenui II. liti I.

VI. De presbyteris statuerunt, quod si aliquid eis aut eorum hominibus quis contrarium facere aut tollere præsumpserit contra iustitiam, omnia in duplum restituat ei & componat.

VII. De missis regis statuerunt, vt si ab eis aliquis interfectus euenerit, in triplum eum componere debeat qui hoc facere præsumpse-

rit. Similiter quidquid aut eorum omnibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant restaurare, & secundum eorum cuua componere.

VIII. De incendio conuenit, quod nullus infra patriam præsumat facere propter iram aut inimicitiam, aut qualibet maleuola cupiditate: excepto si talis fuerit rebellis, qui iustitiam facere noluerit, & aliter districtus esse non poterit, & ad nos, vt in præsentia nostra iustitiam reddat, venire despexerit, condicto commune placito simul ipsi pagenses veniant, & si vnanimiter consenserint, pro districtione illius casa incendatur: tunc de ipso placito commune consilio facto secundum eorum cuua fiat peractum, & non pro qualibet iracundia aut maleuola intentione, nisi pro districtione nostra. Si aliter facere ausus fuerit, sicut superius dictum

eſt, ſolidos LX. componat.

IX. Item placuit vt quandoquidem voluerit domnus Rex propter pacem & propter faidam, & propter maiores cauſas bannum fortiorem ſtatuere, vna cum conſenſu Francorum & fidelium Saxonum, ſecundum quod ei placuerit, iuxta quod cauſa exigit, & opportunitas fuerit, ſold. LX. multiplicare in duplum, & ſol.c. ſiue vſque ad mille componere faciat, qui eius mandatum tranſgreſſus fuerit.

X. De malefactoribus, qui vitæ periculum ſecundum euua Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, vt qualiſcunque ex ipſis ad regiam poteſtatem confugium fecerit, aut in illius ſit poteſtate vtrum interficiendum illis reddat, aut vna cum conſenſu eorum habeat licentiam ipſum malefactorem cum vxore & familia & omnia ſua

foris

foris patriam infra ſua regna, aut in marca, vbi ſua fuerit voluntas, collocare, & habeant ipſum quaſi mortuum.

XI. Illud notandum eſt quales debent ſolidi eſſe Saxonum; id eſt, bouem annoticum vtriuſque ſexus auctumnali tempore ſicut in ſtabulum mittitur pro vno ſolido: ſimiliter & vernum tempus quando de ſtabulo exiit, & deinceps quantum ætatem auxerit, tantum in pretio creſcat. De annona vero bortrinis pro ſol. I. ſcapilos XL donant, & de ſigale XX. ſeptentrionales autem pro ſolido ſcapilos XXX dent, & ſigale XV. Mel vero pro ſolido bortrenſi ſiglæ I & medio donant: ſeptentrionales autem duos ſiclos de melle pro I. ſolido donent. Item hordeum mundum ſicut & ſigale pro I. ſolido donent. In argento XII denarios ſolidum faciant; & in

sio domini nitidam possit suffocare segetem. Lectionis etenim sacræ cognitio imbecillis baculum, neruosis arma ministrat, hostium subdolas fortiter premit insidias, & victoribus æternas feliciter promittit coronas. Ergo procul a pastoribus negligentiæ torpor abscedat; procul a mentis acumine inertia damnosa recedat, mollisque lasciuia corporis membra relinquat, & altus sopor mollisque somnus in rigidas lucrosasque lectionis emergat excubias, vt ecclesiæ ager opimus, doctorumque semine satus, valeat centenos omnipotenti reddere fructus. Iam nunc adgrediar de spiritus sancti processione. Quod spiritus patris sit in filio, idemque spiritus & patris sit & filii, Esaias testatur, vbi vox patris ait ad filium: *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedant de ore*

Isa. 59. 21.

tuo, & de ore seminis tui amodo & vsque in sempiternum. Item in Esaia scriptum est: *Ibi obuiauerunt sibi cerui, & viderunt facies suas mutuo. Transierunt; vnus ex eis non periit, & spiritus eius congregauit eos.* Ceruos hic apostolos prisci patres intellexerunt, quos spiritus Christi in Hierusalem congregauit, vbi se obuiantes mutuo salutauerunt. Igitur quod patris sit spiritus, ipse dominus apostolis ait: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et quod idem spiritus filii sit, Paulus testatur dicens: *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Itemque in epistola ad Galatas ait: *Quoniam autem estis filii dei, misit deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem, abba pater.* Beatus quoque Petrus in epistola sua ait: *Reportantes finem fidei vestræ, salutem*

Matt. 10. 20.

Rom. 8, 9.

Gal. 4. 6.

1. Petr. 1, 9.

præsentare noluerit, & ad hoc excusare non potest, honorem suum perdat.

XXIV. De pignore, vt nullatenus alterum aliquis pignorare præsumat; & qui hoc fecerit, bannum persoluat.

XXV. Vt nulli hominum contradicere viam ad nos veniendo pro iustitia reclamandi aliquis præsumat: & si aliquis hoc facere conauerit, nostrum bannum persoluat.

XXVI. Si quis homo fideiussorem inuenire non potuerit, res illius in forbanno mittantur, vsque dum fideiussorem præsentet. Si vero super bannum in domum suam intrare præsumpserit, aut sold. x. aut vnum bouem pro emendatione ipsius banni componat; & insuper vnde debitor exstitit, persoluat. Si vero fideiussor diem statutum non obseruauerit, tunc ipse tantum

damni incurrat, quantum manus sua fideiussoris extitit. Ille autem, qui debitor fideiussori exstitit, duplum restituat pro eo, quod fideiussorem in damnum cadere permisit.

XXVII. De præmiis & muneribus, vt munera super innocentem nullus accipiat: & si quis hoc facere præsumpserit, nostrum bannum soluat. Et si, quod absit, forte comes hoc fecerit, honorem suum perdat.

XXVIII. Vt vniuersi comites pacem & concordiam adinuicem habere studeant. & si forte inter eos aliqua discordia aut conturbium ortum fuerit, vt nostrum solatium vel perfectum pro hoc non demittant.

XXIX. Si quis comitem interfecerit, vel de eius morte consiliũ dederit, hereditas illius ad partem regis cueniat, & in ius eius redigatur.

xxx. Dedimus potestatem comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel maioribus causis in sold. LX. De minoribus vero causis comitis bannum in sol. XII constituimus.

XXXI. Si cuilibet homini sacramentum debet, aframeat illum ad ecclesiam sacramento ad diem statutum: & si iurare contempserit, fidem faciat, & sold. XV componat qui inactiuus apparuit, & deinceps causam pleniter emendare faciat.

XXXII. De periuris secundum legem Saxonum sit.

XXXIII. Interdiximus vt omnes Saxones generaliter conuentus publicos nec faciant, nisi forte missus noster de verbo nostro eos congregare fecerit. Sed vnusquisque comes in suo ministerio placita & iustitias faciat, & hoc a sacerdotibus considereturne aliter faciat.

ALIVD CAPITVLARE.

ANNO ab incarnatione domini noſtri Ieſu Chriſti DCCXCVII. & XXX ac XXII, regnante domno Carolo præcellentiſsimo rege, conuenientibus in vnum Aquis palatio in eius obſequio venerabilibus epiſcopis & abbatibus, ſeu illuſtri bus viris comitibus V. Kal. Nouemb. ſimulque congregatis Saxonibus de diuerſis pagis tam de Veſtfalahis & Angrariis, quam & de Ooſtfalahis, omnes vnanimiter conſenſerunt & aptificauerunt, vt de illis capitulis, pro quibus Franci, ſi regis bannum tranſgreſsi ſunt, ſolidos LX componunt, ſimiliter Saxones ſoluent, ſi alicubi contra ipſos bannos fecerint.

HAEC SVNT CAPITVLA.

I CAPIT. Vt eccleſiæ, viduæ, orfani, & minus potentes iuſtam & quietam pacem habeant; & vt

raptum, & fortiam, nec incendium infra patriam quis facere audeat præsumptiue, & de exercitu nullus super bannum domini regis remanere præsumat.

II. Si quis supradicta VIII capitula transgressus fuerit, omnes statuerunt & aptificauerunt, vt Saxones similiter sicut & Franci LX sol. componant.

III. Item placuit omnibus Saxonibus, vt vbicunque Franci secundum legem sol. XII soluere debent, ibi nobiliores Saxones sol. XII. ingenui V. liti IV. componant.

IV. Hoc etiam statuerunt, vt qualiscumque causa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi solito more ipsi pagenses sol. XII pro districtione recipiant, & pro Vvargilda, quæ iuxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem

in præsentia missorum regalium causæ definitæ fuerint, pro iam dicta Vvargilda suprascriptos sol. xii ipsis pagenses habeant concessos: & pro hoc quia missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios xii sol. inde recipiat ad partem regis. Si autem ipsa causa ad palatium in præsentia regis ad definiendum fuerit perducta, tunc vtrique solidi xii. id est pro Vvargilda, & quod vicinis debuit componere, eo quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem regis faciant componere, quod sint solidi xxiv. Nam si fuerit aliquis qui in patria, iuxta quod sui conuicini indicauerint, seque pacificare noluerit, & ad palatium pro huius rei causa venerit, & ibi ei fuerit iudicatum quod iustum iudicium iudicassent, in prima vice, vt supra dictum est, sol. xxiv. ad partem regis componat. Et si tunc

inde rediens se pacificare & iustitiam facere renuerit, & iterum pro ista causa ad palatium fuerit conuocatus & deiudicatus, bis XXIV. solidos componat. Si vero necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remeauerit, triplam compositionem exinde faciat ad partem regis.

V. Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus venire contempserit, sol. IV componat, ingenui II. liti I.

VI. De presbyteris statuerunt, quod si aliquid eis aut eorum hominibus quis contrarium facere aut tollere præsumpserit contra iustitiam, omnia in duplum restituat ei & componat.

VII. De missis regis statuerunt, vt si ab eis aliquis interfectus euenerit, in triplum eum componere debeat qui hoc facere præsumpse-

rit. Similiter quidquid aut eorum omnibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant restaurare, & secundum eorum euua componere.

VIII. De incendio conuenit, quod nullus infra patriam præsumat facere propter iram aut inimicitiam, aut qualibet maleuola cupiditate: excepto si talis fuerit rebellis, qui iustitiam facere noluerit, & aliter districtus esse non poterit, & ad nos, vt in præsentia nostra iustitiam reddat, venire despexerit, condicto commune placito simul ipsi pagenses veniant, & si vnanimiter consenserint, pro districtione illius casa incendatur: tunc de ipso placito commune consilio facto secundum eorum euua fiat peractum, & non pro qualibet iracundia aut maleuola intentione, nisi pro districtione nostra. Si aliter facere ausus fuerit, sicut superius dictum

est, solidos LX. componat.

IX. Item placuit vt quandoquidem voluerit domnus Rex propter pacem & propter faidam, & propter maiores causas bannum fortiorem statuere, vna cum consensu Francorum & fidelium Saxonum, secundum quod ei placuerit, iuxta quod causa exigit, & opportunitas fuerit, sold. LX. multiplicare in duplum, & sol.C. siue vsque ad mille componere faciat, qui eius mandatum transgressus fuerit.

X. De malefactoribus, qui vitæ periculum secundum euua Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, vt qualiscunque ex ipsis ad regiam potestatem confugium fecerit, aut in illius sit potestate vtrum interficiendum illis reddat, aut vna cum consensu eorum habeat licentiam ipsum malefactorem cum vxore & familia & omnia sua

foris

foris patriam infra ſua regna, aut in marca, vbi ſua fuerit voluntas, collocare, & habeant ipſum quaſi mortuum.

XI. Illud notandum eſt quales debent ſolidi eſſe Saxonum; id eſt, bouem annoticum vtriuſque ſexus auctumnali tempore ſicut in ſtabulum mittitur pro vno ſolido: ſimiliter & vernum tempus quando de ſtabulo exiit, & deinceps quantum ætatem auxerit, tantum in pretio creſcat. De annona vero bortrinis pro ſol. I. ſcapilos XL donant, & de ſigale XX. ſeptentrionales autem pro ſolido ſcapilos XXX dent, & ſigale XV. Mel vero pro ſolido bortenſi ſiglæ I & medio donant: ſeptentrionales autem duos ſiclos de melle pro I. ſolido donent. Item hordeum mundum ſicut & ſigale pro I. ſolido donent. In argento XII denarios ſolidum faciant; & in

aliis ſpeciebus ad iſtud pretium omnes æſtimationes compoſitionis ſunt.

EXPLICIT CAPITVLARE SAXONVM.

EPISTOLA CAROLI IMPERATORIS

ad Leonem III Papam vrbis Romæ directa, à Zmaragdo edita.

QVAESTIO quæ de ſpiritus ſancti proceſſione eſt nuper exorta, iamdudum eſt diligentiſſime a ſanctis patribus ventilata. Sed quia iam diu a quærentibus neglecta iacebat; non quieuit quaſi antiquitus ventilata, ſed quaſi quædam his temporibus nobis ſubito emerſit occulta; quod diuinitus ſpiratum fideliter credens non dubito.

Crebris etenim quæſtionum ictibus præſens eccleſia tunditur, vt doctrinis catholicis erudita, ſanæque fidei confeſſionibus elimata, in æternum quandoque hæreditate filiorum percepta viuere cum domino valeat feliciter regnatura. Sed quia, vt præfatus ſum, hæc quæſtio diu a quærentibus indiſcuſſa iacebat, voluit omnipotens deus in eandem ſuſcitare corda paſtorum, vt negligentiæ torpore ſublato exercitationis ſanctæ brachio cæleſtem valeant perfodere theſaurum. Sermonis etenim dominici ſarculo ſæpius diuinarum ſcripturarum paſtores debent proſcindere campum, ne zizania ſatoris iniqui ſemenque malignum formoſi tritici valeat opprimere fructum: aut volans paſſim volucris hæretica ſemen catholicum a cordibus rapiat paruulorum: horridaque ſpinarum emer-

sio domini nitidam possit suffocare segetem. Lectionis etenim sacræ cognitio imbecillis baculum, neruosis arma ministrat, hostium subdolas fortiter premit insidias, & victoribus æternas feliciter promittit coronas. Ergo procul a pastoribus negligentiæ torpor abscedat; procul a mentis acumine inertia damnosa recedat, mollisque lasciuia corporis membra relinquat, & altus sopor mollisque somnus in rigidas lucrosasque lectionis emergat excubias, vt ecclesiæ ager opimus, doctorumque semine satus, valeat centenos omnipotenti reddere fructus. Iam nunc adgrediar de spiritus sancti processione. Quod spiritus patris sit in filio, idemque spiritus & patris sit & filii, Esaias testatur, vbi vox patris ait ad filium: *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedant de ore*

Isa. 59. 21.

tuo, & de ore seminis tui amodo & vsque in sempiternum. Item in Esaia scriptum est: *Ibi obuiauerunt sibi cerui, & viderunt facies suas mutuo. Transierunt; vnus ex eis non periit, & spiritus eius congregauit eos.* Ceruos hic apostolos prisci patres intellexerunt, quos spiritus Christi in Hierusalem congregauit, vbi se obuiantes mutuo salutauerunt. Igitur quod patris sit spiritus, ipse dominus apostolis ait: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et quod idem spiritus filii sit, Paulus testatur dicens: *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Itemque in epistola ad Galatas ait: *Quoniam autem estis filii dei, misit deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem, abba pater.* Beatus quoque Petrus in epistola sua ait: *Reportantes finem fidei vestræ, salutem*

Mat. 10. 20.

Rom. 8, 9.

Gal. 4. 6.

1. Petr. 1, 9.

animarum. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret qui in eis erat spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias. Et dominus in euangelio ait: *Cum venerit paraclitus spiritus veritatis, qui a patre procedit.* Vbi suum esse spiritum docuit, quia ipse est veritas, & patris a quo eum dixit procedere. Quod spiritum sanctum dedit pater apostolis, in epistola ad Corinthios secunda scriptum est: Ait enim inter cætera: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Item in epistola ad Thessalonicenses prima. *Non enim vocauit*, ait, *nos deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui*

Ioan. 15,26

c. 1. 21.

c. 4. 8.

hæc spernit, non hominem spernit, sed deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. Et quod eundem spiritum sanctum dedit & filius, in epistola Ioannis scriptum est: *In hoc intelligimus quoniam in eo manebimus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Quod spiritum sanctum effudit pater in discipulos, in epistola ad Titum scriptum est: *Cum autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum.* Quod & eundem spiritum sanctum effudit filius, in actibus scribitur apostolorum: aiunt enim apostoli inter cætera: *Hunc Iesum resuscitauit deus, cuius nos omnes re-*

1. Ioan. 4, 13.

c. 3, 5.

c. 2, 33.

ſtes ſumus. Dextera igitur dei exaltatus, & promiſſione ſpiritus accepta a patre effudit hunc quem vos videtis & auditis. Item quod vna ſit a patre & filio ſpiritus ſancti effuſio Ioele teſtante didicimus; ait enim vox patris ſimul & filii: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ. Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt: ſed & ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de ſpiritu meo, & dabo prodigia in cælo & in terra.* Quod ſpiritus ſanctus oris ſit patris in pſalmo trigeſimo ſecundo legitur: *Verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et quod os ſit filii, in Eſaia ſcriptum eſt: ait enim idem propheta de filio: *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

Ioel. 2, 28.

Pſ. 33, 6

Eſa. 11, 4

Cui ſententiæ concordans Paulus in epiſtola ad Theſſalonicenſes ait: *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.* 1. Theſ. 2, 8. Quod ſpiritus a patre procedat, ipſe dominus teſtatur dicens. *Spiritus qui a patre procedit, ille me clarificabit*; & cætera talia plura in euangeliis inueniuntur teſtimonia. Idan. 15, 26 Et quod idem ſpiritus procedat a filio, liber Iob ore dominico ſacratus teſtis eſt: vbi hac inter cætera ait: *Et audite auditionem in terrore vocis eius, & ſonum de ore illius procedentem.* Iob 37, 2. Hoc in loco os patris filius eſt intelligendus. Sonus vero de ore illius procedens ſpiritus ſanctus, qui a filio procedens cum ſonitu ſuper apoſtolos in igne deſcendens apparuit, ſicut apoſtolorum teſtantur actus, vbi ſcribitur: *Dum complerentur dies pentecoſtes, erant* Act 2, 1,

omnes pariter in eodem loco : & factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus validissimi , & repleuit totam domum vbi erant sedentes . Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis , seditque supra singulos eorum , & repleti sunt omnes spiritu sancto .
Beatus autem Gregorius hunc supradictum libri Iob versiculum exponens , inter cætera sic ait : Potest autem per os Dei vnigenitus filius designari ; per sonum vero oris potest eiusdem spiritus sanctus designari . Sonus igitur de ore domini procedit , cum consubstantialis eius spiritus ad nos per filium veniens surditatem nostræ insensibilitatis sumpsit . De hac igitur ipsa processione , qua spiritus sanctus a filio procedit sicut procedit a patre, beatus Athanasius in libro quem scripsit contra Arrium inter cætera sic

ait. Ego credo filium in patre, & „
patrem in filio: ſpiritum quoque „
paraclitum, qui procedit a patre, & „
filii eſſe & patris, quia & a filio pro- „
cedit: ſicut in euangelio ſcriptum „
eſt, quod per inſufflationem ſuam „
dederit diſcipulis ſuis ſpiritum ſan- „
ctum, dicens: *Accipite ſpiritum ſan-* „ Ioan.
ctum, quorum remiſeritis peccata, „ 20, 19
remittentur eis: & cætera. Cyril- „
lus quoque de hac ipſa ſpiritus ſan- „
cti proceſſione contra Neſtorium „
inter cætera ſic ait. Quamuis enim „
in ſua ſit ſubſtantia ſpiritus, & eius „
intelligatur in perſona proprietas, „
iuxta id quod ſpiritus eſt, & non „
filius: attamen alienus non eſt ab „
illo; nam ſpiritus appellatus eſt ve- „
ritatis, & veritas Chriſtus eſt. Vn- „
de & ab iſto ſimiliter ſicut & a deo
patre procedit. Ambroſius inter
cætera de ſpiritu ſancto ſic ait: Non „
enim quaſi ex loco mittitur ſpiri- „

„ tus, aut quasi ex loco procedit,
„ quando procedit ex filio. Hieronymus quoque de hac ipsa spiritus sancti processione in symboli expositione inter cætera sic ait: Spiri-
„ tus qui a patre & filio procedit, patri filioque coæternus & per omnia
„ coæqualis est. Hæc est sancta trini-
„ tas: id est, pater, & filius, & spiri-
„ tus sanctus, vna est deitas & potentia, vna & essentia; id est, pater qui
„ genuit, filiusque genitus, & spiritus sanctus qui ex patre filioque
„ procedit: Hæc tria vnus deus est. Augustinus quoque in expositione fidei catholicæ inter cætera sic ait:
„ In illa igitur sancta trinitate vnus
„ est pater, qui solus de se ipso essen-
„ tialiter vnum genuit filium: & vnus
„ filius, qui de vno patre solus est es-
„ sentialiter natus: & vnus spiritus,
„ qui solus essentialiter de patre filio-
„ que procedit. Item ipse aduersus

Maximinum hæreticum: Quæris a me, ſi de ſubſtantia patris eſt filius; de ſubſtantia patris eſt etiam ſpiritus ſanctus; cur vnus filius, & alius non ſit filius? Ecce reſpondeo, ſiue capias, ſiue non capias. De patre eſt filius; de patre & ſpiritus ſanctus: ſed ille genitus eſt, iſte procedens; ideo ille filius eſt patris de quo eſt genitus, iſte autem ſpiritus vtriuſque, quoniam de vtroque procedit. Et poſt paululum ipſe: Amborum eſt ergo ſpiritus procedendo de ambobus. Item ipſe in libro de trinitate inter cætera ait: Cum per ſcripturarum ſanctarum teſtimonia docuiſſem, de vtroque procedere ſpiritum ſanctum: ſi ergo inquam & de patre, & de filio procedit ſpiritus ſanctus; cur filius dixit: *De patre procedit*? Cur putas, niſi quemadmodum ſolet ad eum referre & quod ipſius eſt, de

„ quo ipse est. Vnde illud est quod
Ioan. „ ait: *mea doctrina non est mea, sed*
7. „ *eius qui misit me*. Si igitur hic in-
„ telligitur eius doctrina, quam ta-
„ men dixit non esse suam sed patris;
„ quanto magis illic intelligendus est
„ & de ipso procedere spiritus sanctus
„ vbi sic ait: *De patre procedit*, vt
„ non diceret, de me non procedit.
„ A quo autem habet filius vt sit
„ deus: si enim de deo deus, ab illo
„ habet vtique, vt etiam de illo pro-
„ cedat spiritus sanctus: ac per hoc
„ spiritus sanctus vt etiam de illo pro-
„ cedat sicut procedit de patre, ab ip-
so habet patre. Item ipse spiritus
„ sanctus. Spiritus vero sanctus non
„ dum de patre procedit in filium, &
„ de filio procedit ad sanctificandam
„ creaturam, sed simul de vtroque
„ procedit; quamuis hoc filio pater
„ dederit, vt quemadmodum de se,
„ ita quoque de illo procedat. Hæc a

nobis ſummo opitulante opifice de ſpiritus ſancti proceſsione multiplicia ſanctarum ſcripturarum adgregata ſunt teſtimonia, vt diuinorum librorum ſententiis victus, multorumque orthodoxorum nube teſtium preſſus veritati non valeat reſiſtere inimicus; ſed potius ſententiis catholicis veridicisque ſuaſus teſtimoniis, reuertatur ad tutiſsimum eccleſiæ ſinum, vt pariter catholico educatus in gremio, quandoque æternum cum filiis mereatur accipere regnum.

EXPLICIT EPISTOLA.

EX CONSTITVTIONIBVS HLOTARII IMPERATORIS

sub EVGENIO II papa gestis in atrio beati Petri apostoli, anno Christi DCCCXXIV.

Ex collectione canonum C. Deusdedit lib. I. cap. CCXLII *& seqq.*

CAP. I. CONSTITVIMVS vt omnes qui sub speciali defensione domni apostolici seu nostra fuerint susceptι, impetrata inuiolabiliter vtantur defensione. Quod si quis in quocunque violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ incursurum. Nam & hoc decernimus vt domno apostolico in omnibus iusta seruetur obedientia, seu ducibus & iudicibus suis ad iustitiam faciendam.

II. Vt deprædationes quæ hactenus fieri solebant, nullo modo fiant, neque viuente pontifice, neque defun-

functo. Si quis vero vlterius hoc fecerit, sciat se legali sententia condemnandum. Quæ vero retro factæ sunt, legaliter emendentur.

III. In electione autem Romani Pontificis nullus siue liber, siue seruus præsumat aliquod impedimentum facere. Sed illi solummodo Romani, quibus antiquitus concessum est constitutione sanctorum Patrum, sibi eligant Pontificem. Quod si quis contra hanc nostrã constitutionem facere præsumpserit, exilio tradatur.

IV. Volumus etiam, vt missi cõstituantur a Domno Apostolico & a nobis, qui annuatim nobis renuncient, qualiter singuli Duces & Iudices iustitiam populo faciãt, & quomodo nostra constitutio seruetur. Decernimus itaque, vt primum omnes clamores, qui negligentia

Ducum aut Iudicũ fuerint, ad notitiam Domni Apoſtolici referantur, vt ſtatim aut ipſe per ſuos nũtios eoſdem emendari faciat, aut nobis notificet, vt legatione à nobis directa emendentur.

V. Volumus etiam, vt omnis ſenatus & populus Romanus interrogetur, quali vult lege viuere, vt ſub ea viuat: eiſque denuntietur, quod procul dubio ſi offenderint contra eandem, eidem legi, quam profitebuntur, diſpoſitione Domni Pontificis, & noſtra omnimodis ſubiacebunt.

VI. De rebus, autem eccleſiarum iniuſte retentis ſub occaſione quaſi licentia accepta a Pontifice, volumus vt a Legatis noſtris in poteſtatem Põtificis & Romanæ eccleſiæ celerius redigantur.

VII. Præcipimus etiam, vt de-

prædationes in confinio noſtro nō fiant; quæ factæ ſunt,& cæteræ iniuſtitiæ, ſecundum legem ab vtriſque partibus emendentur.

VIII. Placuit etiam nobis, vt cuncti Duces, & Iudices, ſiue alii, qui cæteris præeſſe debent, in noſtram præſentiam dum Romæ ſumus conueniant: volumus enim & numerum, & nomina ſcire, & ſingulis de miniſterio ſibi credito admonitionem facere.

IX. Nouiſſime præcipimus & monemus, vt omnis homo, ſicut Dei gratiam & noſtram habere deſiderat, ita præſtet in omnibus obedientiam atque reuerentiam Romano Pontifici.

INCIPIT PRAECEPTVM

Imo lex a glorioſiſſimo Rege Theodorico contra illos ſacerdotes, qui ſubſtantiam Eccleſiæ jure directo aut vendere aut donare præſumunt.

Domitori Orbis Præſuli & reparatori libertatis Senatui Vrbis Romæ Flauius Theodoricus Rex.

PERVENIT ad nos, Patres conſcripti, de Eccleſiæ miſſa vtilitate ſuggeſtio, & noſtri manſuetudinis grata ſacri cætus veſtri ordinatio corda pulſauit. Et licet poſt venerabilem Synodũ ad huiuſmodi decreta veſtri ſufficiat ordinatio ſola iudicii, tamen pro veſtra huiuſmodi præsẽtibus oraculis dedimus conſolatione reſpon-

sum: vt nulli fas sit Ecclesiæ cuiuslibet Antistiti sub qualibet alienatione de proprietate contractus, vsumfructum plane suum cui salua voluerit æquitate præstabunt. Neque enim frustrari sola Pontificis voluntate vel cleri peregrinis debita omnibus, vel statui Ecclesiæ res delata. Quid enim tam profanum, quã vt in hac largientis parte violetur arbitrium? dum quod ad Ecclesiam quisque voluit pertinere, priuatæ sibi vindicent pro vsufructuariæ personæ contractus. Ergo si quis scelestis ausibus interdicta præsumpserit, & vltra vsumfructũ retinere cupit, Episcopo vel Clero largiente alienata res protinus cum fructibus a venerãdo Præsule vindicetur &c.

Data V. Idus Martias Rauennæ Venantio V, C. Consule.

EX CONSTITVTIONE IMPERATORVM primi Othonis & primi Henrici.

Ex Anſelmo Lucenſe lib. VI. cap. XXXV.

Vt in electione Romani Pontificis nullus ſe audeat interponere, præter eos quos antiqua conſuetudo admittit.

IN electione Romani Pontificis neque liber, neque ſeruus ad hoc venire præſumat, vt illis Romanis, quos ad hanc electionem per conſtitutionem ſanctorum Patrum antiqua admiſit conſuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod ſi quis contra hanc noſtram inſtitutionem præſumpſerit, exilio tradatur.

Insuper etiam vt nullus missorum nostrorum cuiuscunque impeditionis argumentum componere in præfata electione audeat prohibemus. Nam & hoc omnimodis instituere placuit, vt qui semel sub speciali defensione Dñi Apostolici siue nostra fuerint susceptí impetrata iuste vtãtur defensione. Quod si quis quemquam illorum, qui hoc promeruerint, violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum. Et subscripserunt ambo Imperatores, quisque suo tempore, & Episcopi XXIII, & Abbates VI, Comites XIII, Optimates XVII.

INCIPIT CONSTITVTIO decretalis ſacræ legis Domini Ottonis III. piiſſimi Imperatoris.

Ex Chronico Farfenſi M. S.

OTTO Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus Archiepiſcopis, Abbatibus, Marchionibus, Comitibus, & cunctis Iudicibus intra Italiam conſtitutis in perpetuum.

COMPERIMVS quod Epiſcopi & Abbates Eccleſiarum poſſeſſionibus abutantur, & per ſcripta quibuſque perſonis attribuant; & hoc non ad vtilitatem Eccleſiarum, ſed pecuniæ, affinitatis & a-

micitiæ causa. Dumque eorum successores & pro domorum Dei restauratione, ac pro reipublicæ officio, nostroque obsequio commonentur, suarum Ecclesiarum prædia ab aliis detineri causantur; seque impĕrata non posse perficere reuera demonstrant. Proinde quia status Ecclesiarum annullātur, nostraque Imperialis maiestas non minus patitur detrimentum, dum subditi nobis debita non possunt exhibere obsequia, Constituimus, & Imperiali edicto confirmamus, vt omnia scripta, siue si libelli nomine, siue si emphyteosis prolatū fuerit quid de Ecclesiis Dei, siue aliquo modo, effici non possit: obeunte auctore obeat, soluſque detrimentum habeat, qui se eo scripto obligauit atque vinxit; nec omnino ad eum superscripta dam-

na pertineant, qui ei in regimine succeſſit: ſed ſit ei libera facultas omnia quæ per libellos vel alias quaslibet ſcripturas abalienata fuerint, in proprium ius Eccleſiæ reuocare, & ita ordinare, vt Deo & nobis debitum obſequium valeat exhibere, Nam cum Regibus & Imperatoribus ea quę regni & imperii ſunt, niſi ſeruientibus dare non liceat, exceptis eccleſiis, quomodo Abbatibus & Epiſcopis res Eccleſiarum per tempora ſuorum ſucceſſorũ diſtribuere liceat? Omne quippe ius, ſiue lex, ſiue quodlibet ſcriptum, vel quælibet conſuetudo, ſi contra Eccleſiæ vtilitatem fuerint; in irritum deducenda ſunt; nec noſtra auctoritate debent firmari, quæ contra imperii auctorem & propagatorem probabuntur inferri. Hoc ergo ſolum

scriptum pro lege in talibus causis habeatur, quod Ecclesiæ Dei prosit, & nullo modo obesse possit. Quod si aliquis contra hanc constitutionem nostram ire tentauerit, tanquam rebellis iudicetur, & sit ei anathema maranatha, nisi resipiscat, ab omnibus Episcopis, qui huic imperii nostri edicto subscripserunt, vel assensum præbuerunt, vel præbituri sunt. Amen.

Actum XII. Kalend. Octobris, Indictione XII, anno tertio Domini Gregorii quinti Papæ pōtificatus, promulgata per manus Gerberti sanctæ Rauennatis Ecclesiæ Archiepiscopi, in ea Synodo, in qua Mediolanensi Episcopo, Arnulfo nomine, papatum ablatum est in basilica sancti Petri, quæ vocatur ad cælum aureum. Et subscripserūt omnes qui adfuerunt Episcopi,

dicationem fecerat indictum publicum celebraretur vno quoque anno apud S. Nicolaum, & septima pars pœnitentiarum populo conuenienti ad illam celebritatem dimitteretur. Vnde discedens Cenomannum venit, & inde Turonũ; ibique datis venerabili Concilio decretis media quadragesima coronatus est, & cum solemni processione ab Ecclesia S. Mauricii ad Ecclesiam beati Martini deductus: vbi mihi florem aureum quem manu gerebat donauit. Quem ego etiam ob memoriam & amorem illius in Osanna semper mihi meisque successoribus deferendum constitui.

LV.

LVCAE HOLSTENII

Vaticanæ Basilicæ Canonici & Bibliothecæ Præfecti.

NOTÆ ET OBSERVATIONES ECCLESIASTICÆ AD SYNODVM ROMANAM BONIFATII PP. II.

E Schedis eius posthumis excerptæ.

PAg. 1. *Acta Synodi*, &c. Cur Synodi nomen hisce Actis nullo titulo in manuscripto insignitis præfixerim, qui causam à me rationemque morosiùs exigat, neminem fore existimo. Nam vel leuiter in Ecclesiastica Historia versati sciunt, moris fuisse antiqui, vt quoties de grauioris momenti negotio ad Apostolicam,

cæteraſque maiores Sedes referretur, non ſolum Clerus Vrbicus, ſed etiam Epiſcopi in Comitatu commorantes ad Conſilium commune deliberationemque conuocarentur. Eius rei exemplum hæc Acta continent. Nam Epiphanius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ne temerè nulloque iudicio Stephanum Theſſalonicenſem ſuâ privaſſe Eccleſiâ, & Conſtantinopolim evocaſſe videretur, Synodum Epiſcoporum, qui tunc in Vrbe verſabantur, coëgit. Eam Græci τὴν ἐνδημοῦσαν vel ἐνδημοῦσαν σύνοδον appellant, qualis vocatur & fuit illa Conſtantinopolitana, cujus Epiſtolæ ad Eutychen in fine Actionis Tertiæ Concilij Calchedonenſis recitatur pag. 211. Tomi VIII. Edit. Regiæ Pariſ. Anni 1644. Verum vt cæteri minores Epiſcopi ad res Eccleſiaſticas dirigendas ſuæ cujuſque civitatis Presbyteros ad conſilium vocabant; quia collatis in vnum multorum ſententijs facilius quod ex vſu eſt perſpicitur: ita quoque Romani Pontifices, etiamſi per ſe ſoli ſummâ rerum cuſtodiẽdarum auctoritate polle-

rent, ad deliberationes tamen & consilia Ecclesiastica Presbyteros Vrbis & Episcopos, qui fortè aderant, aut è propinquo ad idipsum accersebantur, adhibere ab antiquo consuevere. Cornelius Papa Epist. XLVI. apud Cyprianum: *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium. adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie præsentes fuerunt, vt firmato consilio quid conseruari deberet consensu omnium firmaretur.* Syricius Epist. II. *Facto igitur Presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est Christiane legi, esse contraria; vnde omnium nostrum tam Presbyterorum & Diaconorum, quam totius etiam Cleri vna lata fuit sententia &c.* Sic ex Epist. Vitaliani Papæ intelligitur: Episcopis ad Vrbem peregre adventantibus Romanos Pontifices dare audientiam consueviſſe in Synodo Episcoporum eam ob causam coactâ, cujus rei exemplum extat in Epistola Innocentij Papæ edita a Sirmondo Tom. I. Concil. Gall. pag. 38. vbi Episcopus Hilarius & Elpidius Presbyter ad Sedem Apostolicam commeantes, vt de dissensione & schismate Ecclesiarum

Hiſpaniæ referrent; *in confeſſu Presbyterij* auditi memorantur. Quam etiam conſuetudinem Sede vacante a Clero Romano ſervatam docet Cyprianus Epiſt. xxxi. indicans, de causâ lapſorum *vt tẽperamenti moderamen quæreretur*, Clerum Vrbanum *cum quibuſdam Epiſcopis vicinis vrbi & appropinquantibus, & quos ex alijs Provincijs longe poſitis perſecutionis ardor eiecerat, tractaſſe*. Is conſeſſus, ſive vt Hieronymus alicubi vocat, *Cleri Romani Senatus*, Compresbyterium jam olim vocabatur, deinde Conſiſtorij appellationem ex loco, vbi congregabatur, ſicuti mox indicatur, obtinuit, quam hactenus ſervat. Nos huic in causâ Stephani Theſſalonicenſis à Bonifatio II. celebrato cœtui antiquum pro vſu temporis illius ἐνδημούσης συνόδου nomen latinè reddidimus.

Pag. 1. *Poſt Conſulatum Lampādij & Oreſtis* VV. CC. *ſub die* VII. *Iduum Decemb.* Menſis dieſque hiſce Actis conſignatus eos hallucinari oſtendit, qui Bonifatium hoc ipſo anno a. d. 17. Octobris vitâ functum ſcribunt; qui vulgatus

omnium, quod sciam, error est, nunc primùm ad hujus Synodi fidem castigandus : ex quâ vtique constat eum, si non toto Decembri, saltem majori ejus parte vixisse. Sed cum Bonifatij II. Pontificatum non solum fine, sed multò grauiùs principio suo mulctet ac mutilet Baronius, annumque integrum ei ademptum Felici, qui ipsi decessit, tribuat; paulò diligentiùs aliquot antecedentium & subsequentium Pontificum tempora digerere non abs re fuerit; cum multa nunc vera & genuina Antiquitatis monumenta Baronio non visa in lucem emerserint; ad quorum fidem hæc sacræ Chronologię pars emendanda. Exordiar autem ab eo quod apud omnes in confesso est, Ioannem I. qui teste Anastasio præfuit Ecclesiæ à Consulatu Maximi vsque ad Consulatum Olybrij, obijsse Rauennæ in carcere vi. Kal. Iunij, Olybrio Iuniore Consule, qui fuit annus Christi 526. Dies autem ille tabulis Ecclesiasticis ita obsignatus est, vt de eo dubitari possit à nemine. Ioanni post 58. dierum interregnum successit Felix IV.

die Iulij 24. rexitq; Ecclesiam à Consulatu Maburtij, teste Anastasio, vsque ad Consulatum Lampadij & Orestis annis non amplius tribus, mensibus 2. diebus 14. Nam quod Anastasius & Indices antiqui annos quatuor ei tribuunt, in eo & ipsi errant, & Baronium alioſque, melioribus tunc documentis destitutos, in erroris consortium trahunt. Etenim Felicem Decij Iunioris Consulatu, hoc est, anno Christi 529. rebus humanis excessisse Concilij Arausicani II. Acta testantur, quod eodem Consule habitum fuit v. Nonas Iulias. Ejus siquidem Concilij confirmationem, quam à Felice Papa petierat Cæsarius Arelatensis, a Bonifatio eius successore principio anni sequentis 530. quo Lampadius & Orestes Consules fuere, die scilicet xxv. Ianuarij, obtinuit, vt demonstrat Epistola Bonifatij ad Cæsarium edita a V. C. Iacobo Sirmondo Tom. 1. Concil. Galliæ, pag. 223. & 224. ad cuius calcem hæc adscribuntur: *data* VIII. *kalen. Februarias Lampadio & Oreste VV. CC. Consulibus*, quæ si Baronius vidisset non

retuliſſet obitum Felicis IV. deceſſoris Bonifatij in diē iv. Idus Octobris eiuſdem anni, quo Lampadius & Oreſtes Conſules fuerunt; quippe à cujus anni Ianuario certò intelligeret Bonifatium in plena iam & tranquillâ Pontificatus poſſeſſione conſtitutum, in qua initio electionis ſuæ turbatus fuerat ſchiſmate Dioſcori, vt ibidem Baronius memorat. Sunt autem in iſta Bonifatij Epiſtolâ notanda in rem noſtram illa principij verba: *Per filium noſtrum Armenium Presbyterum & Abbatem literas Tuæ Fraternitatis accepimus, quas ad nos*, vt apparet inſcius adhuc Sacerdotij mihi commiſſi (hæc à Sirmondi codice aberant: ſed in Vaticano optimo & antiquiſſimo viſuntur, congruente & & exigente loci ſententia) *ſub ea qua in Deo tenemur caritate direxeras*. Ex his enim colligitur iam tum, cum è Galliâ Romam verſus Armenius à Cæſario miſſus diſcederet, Bonifatium fuiſſe creatum Romanum Pontificem, licet id Cæſarius reſcire adhuc nequiuiſſet. Quod in rem geſtam aptiſſimè quadrat. Mortuus eſt enim Felix Conſu-

latu Decij Iunioris anno Christi 529. iv. Idus, sive duodecimo die Octobris, & triduum Sedes vacavit. Post quod electus est Bonifatius, non tamen concordibus suffragijs cunctorum. Multi enim quemdam Dioscorum malebant, & in sententiâ perstabant. Vnde in Clero contentio exarsit per dies viginti nouem. quoad ipse Dioscorus Novembris duodecimo moriens occasionem compositioni præbuit, quæ statim est secuta: vniversis tandem per repetita Comitia in Bonifatij Pontificatum consentienribus. Quod factum putamus octiduo circiter post Dioscori obitum; vigesimo scilicet plus minus Nouembris die. quando verisimiliter Legatus Cæsarij iter Romanum ingressus est, literas ad Bonifatium vt privatum quidem, sed apud Felicem, qui viuere adhuc putabatur, gratiosum,& Cæsario Amicum,ferens, quibus rogabatur, vt confirmationem Arausicanæ Synodi à Pontifice impetraret. Cum autem constanti omnium assertione sederit Bonifatius annos duos & dies viginti sex, manifestè se-

quitur eius obitum competere in diem circiter decimum ſextum, aut decimum ſeptimum Decembris eius anni, qui numerabatur primus poſt Conſulatum Lampadij & Oreſtis. Itaque quod legitur apud Anaſtaſium deceſſiſſe Bonifatium xvi. Kal. Nouembris, aut vt Manuſcripti Codices vetuſtiſſimi habent, Octobris, mendum habet non dubium in menſis nomine, ad veritatem primigeniæ ſcripturæ revocandum, ſi reponatur xvi. Kal. Ianuarias hoc eſt 17. Decembris. Scio conſtitutis hactenus oppoſituros quoſdam Epiſtolas, quæ extant, duas Felicis IV. Pontificis nomine inſcriptas, cum adiectâ temporis notâ, nempe Conſulatus Lampadij & Oreſtis. Sed harum alteram xii. Kal. Nouembris datam, errare in tempore ipſe qui ijs innititur Baronius agnoſcit, cum eo die ſuperſtitem non fuiſſe Felicem manifeſtum ſit. Atqui eadem ſpongiâ prioris quoque Kalen. Martij, vt ibi notatur, datæ dies pari ex causâ delendus fuerat, vtique cum fuerit demonſtratum Felicem obijſſe duodecimo Octobris anno

ſuperiore. quare vel ambæ illæ Epiſtolæ ſuppoſititiæ ſunt, vel certè vtraque in temporis adſcriptione falſata. Superiora omnia mirificè firmantur ingreſſu Ioannis, qui antea Mercurius vocabatur, & Bonifatio ſucceſſit, in Sedem Apoſtolicam. Fertur is creatus 20. aut, vt Panvinius mavult, 22. Ianuarij, poſtquam dies circiter triginta ſex Sedes vacaſſet. Id quo anno contigerit inquirendum eſt. Extat hodieq; vetus Inſcriptio in Baſilicâ S. Petri ad Vincula, quæ hic deſcribenda eſt.

SALBO PAPA N. IOHANNE COGNOMENTO MERCVRIO EX SCE ECCL. ROM. PRESBYTERIS ORDINATO EX TIT. SCI CLEMENTIS AD GLORIAM PONTIFICALEM PROMOTO BEATO PETRO AP. PATRONO

SVO A VINCVLIS EIVS SEVERVS P̄B. OFRT.

ET ĪT P̄C LAMPADI ET ORESTIS V̄V. C̄C. &c.

En quem quærebamus annum, cujus Ianuarij 22. Ioannes Mercurius Pontificatum inijt, monumento illustri consignatum. Nempe iterum post Consulatum eorumdem, Bonifatius decessisset. Hactenus dicta majoris perspicuitatis gratiâ oculis subiicimus in diagrammate Chronologico: cui ad cumulum adiecimus aliquot etiam Ioanne Mercurio posteriorum Pontificū epochas, ex quibus magis magisq; à nobis jam stabilita confirmantur.

SERIES CHRONOLOGICA
Pontificum Romanorum
A IOANNE I. VSQVE AD S. GREGORIVM MAGNVM.

An. Chr.	Ind.	Cōsules	An. Imp.	An. Pōt.	
523	1	Maximus			IOANNES I. PP. cæpit d. xij. Augusti, sedit annos 2. mens. 9. dies 7. vsque ad diem obitus: vsque ad diē depositionis dies 17.
524	2	Iustinus 2 Opilio.		1	
525	3	Probinus Philoxen.		2	Constantinopolim venit, vbi festum Paschæ Romano ritu celebrauit: fuit die 30. Martij. nam eo die Pascha futurum nuntiat Bonifatius Archiepiscopus Carthaginensis in Epistola Synodica data vi. Id. Ianuarias Synodus autem habita fuit Carthagini Non. Februar.
526		Olybrius		3	Reuersus in Italiam Rauennæ in carcere obit die 18. Maij. Inde Romam perlatus sepelitur ad S. Petrum die 27. Maij. Olybrio Consule Mart. Reg. quo die eius memoriā Ecclesia celebrat. Vacat Sedes dies 58.

An. Chr.	Ind.	Coss.	An. Imp.	An. Pôt.	
					FELIX IV. Papa succedit 25. Iulij, die festo S. Iacobi Apostoli. Sedit an. 3. mens. 2 dies 17.
					Theodoricus rex moritur 2. Septemb. die xcviij. a morte Ioannis Papæ.
527	5	Mauortius	1	1	Iustinianus a Iustino ad Imperium assumitur Kal. April. Imperauit annos 38. m. 11. Iustinus Imp. deinde obijt Kalendis Augusti.
528	6	Iustinian. Imp. 2.	2	2	
529	7	Basilius. Decius Iunior.	3	3	Concilium Arausicanum 2. celebratum die 3. Iulij confirmationem petit à Felice Papa, quam obtinuit ab eius successore sub principium anni sequentis. Obijt autem d. 12. Octobr. Sedes vacat mens. 1. dies. 15.
	8				BONIFATIVS II. PP. succedit die 28. Nouembris. Sedit annos 2. dies 26.
530		Lampad. & Orest.	4	1	Confirmat Concilium Arausicanum die 25. Ianuarij.

An. Chr.	Ind.	Cõsules.	An. Imp.	An. Põt.	
531	9	P.C.Lampadij & Oreſtis	5	2	Synodus Romana habita die 7. & 9. Decembris Obijt eodem menſe circa Natiuitatem Domini. Sedes vacat dies 6.
532	10	Iterum P. C.Lampadij & Oreſtis	6	1	IOANNES II. Papa qui & Mercurius, ſuccedit ipſo principio anni, Kalend. Ianuarij. Sedit annos 3. menſ. 4. minus diebus 6.
533	11	Iuſtinianus 3.	7	2	Iuſtiniani Epiſtolam de recta fide confirmanda 6. Iunij ſcriptam, per Hypatium & Demetrium Epiſcopos miſſam accipit. Iuſtinianus die xx. Nouembris edictum de fide Conſtantinopoli propoſuit, & Romam cæteraſque primarias ad Eccleſias miſit.
534	13	Iuſtinia.4 Paulinus	8	3	Confirmat profeſſionem fidei Iuſtiniani Imperatoris die 25. Martij. Obijt die 26. Aprilis. Sedes vacat dies 7.

An. Chr.	Ind.	Cõsules.	An. Imp.	An. Põt.	
595	13	Belisarius Romanis, P.C. Paulini Iun.	9	1	AGAPITVS Papa succedit 4. Maii. Sedit menses 11. dies 18. Scribit Cæsario Arelatensi 18. Iulii. Respondet literis Episcoporum Africanorum ad Ioannem decessorem scriptis, die 9. Septembris. Respondet gratulationi Iustiniani Imper. 15. Octobris. Constantinopolin venit secunda Februarii.
536	14	P.C. Belisarii	10		Literas ad Ioannem decessorem scriptas ab Agapito confirmari petit Iustinianus 14. Martii. Eidem fidei professionem exhibet Imperator Constantinopoli die 16. Martii. Eam professionem confirmat Agapitus 18. Martii. Obiit Constantinopoli die 22. Aprilis. Vacat sedes dies 24. SILVERIVS Papa succedit 17. Maii. Sedit annum 1. menses 5. dies 11.

An. Chr.	Ind.	Consules	An. Imp.	An. Pót.	
357	15	Iterum P. C. Beliſar.	11	2	Beliſarius Romam venit ad palatium Pincianum Idib. Maij : vbi poſtea Theodoræ iuſſione accepta Siluerium remouet, circa diem 28. Octob. Vacat ſedes dies 5. VIGILIVS PP. Siluerio in exilium miſſo ſubſtituitur a Beliſario, medio Nouembris. Conſecratus fuit 10. Kalen. Decembris die feſto S. Cæciliæ hoc eſt 22. Nouembris. Sedet contra Siluerium menſes 7. in vniuerſum ann. 18. menſ. 5. dies 26.
538	1	Ioannes, Voluſian.	12	1	Reſpondet Profuturo Epiſcopo Bracarenſi 1. Martii, & Cæſario Arelatenſi de cauſa matrimoniali die 6. Mart. Siluerius exulans in Pontia inſula moritur die 20. Iulij, vt ex tabulis Eccleſiaſticis conſtat. inde legitimis comitijs electus Pontifex ſedet Vigilius, a die 28. Iunij.
539	2	Apion Aegyptius.	13	2	

An. Chr.	Ind.	Cõsules.	An. Imp.	An. Põt.	
540	3	Iustinus & Paulinus Iuinior.	14	3	Menæ P. Constantinopolitano gratulatur quod hæreticos damnarit, 17. Septemb.
541	4	Basilius	15	4	
542	5	P.C. Basilij.	16	5	
543	6	Iterum P. C. Basilij.	17	6	Auxanio Arelatensi pallium petenti respondet die 18. Octobris.
544	7	3. p. C.	18	7	

An. Chr.	Ind.	Cõsules.	An. Imp.	An. Põt.	
545	8	4. P.C.	19	8	Auxanio Arelatensi vices suas committit in Gallijs, 22. Maij.
546	9	5. P. C.	20	9	Aurelianum Auxanij successorem, Vicarium suum constituit per Gallias, 22. Aug. Constantinopolin abducitur die 22. Nouembris, qui natalis eius erat. Mense Decembri ordinationem celebrat Cataniæ in Sicilia.
547	10	6. P. C.	21	10	Constantinopolin peruenit die 25. Ianuarij.
548	11	7. P. C.	22	11	Iudicatum pro trium Capitulorum approbatione profert Sabbato sancto, fuit die 11. Aprilis.
549	12	8. P. C.	23	12	Aureliani Arelatensis literas accipit 14. Iulij.

An. Chr.	Ind.	Consules	An. Imp.	An. Pôt.	
550	13	9. P. C. Belisarii	24	13	Scribit Valentiniano Episcopo Tomitano de negotio trium Capitulorum, die 18. Martij. Literis Aureliani Arelatensis superiori anno acceptis respondet, 29. Aprilis.
551	14	10. P. C.	25	14	Fugit ad Basilicam S. Petri in Hormisda, mense Augusto. Fugit Chalcedonem noctu Natalis 24. Decembris.
552	15	11. P. C.	26	15	Encyclicam de calamitatibus suis scribit 5 Februarij.
553	1	12. P. C.	27	16	Eutychio Patriarchæ Constantinopolitano scribit de tribus capitulis in Concilio examinandis 8 Ianuarij. Quinta Synodus celebratur 4. Maij. Constitutum pro tribus Capitulis 14. Maij. Exilio deinde relegatur, Quintam Synodum approbat libello dato, 8. Decembris.

An. Chr.	Ind.	Coss.	An. Imp.	An. Pōt.	
554	2	13. P. C.	28	17	Iustinianus hoc anno 13. P. C. Basilij edidit pragmaticam sanctionem, Idib. Augusti ad petitionem Vigilij Papæ.
555	3	14. P. C.	29	18	Vigilius Romam rediens in Sicilia moritur 4. Idus Ianuarias teste Onuphrio Panuinio.
556	4	15. P. C. Basilij.	30	1	Pelagius Papa succedit circa medium Aprilem consecratus ipso die Paschæ xvi. Kal. Maias. Dedit aliquot Epistolas ad Sapaudum Arelatensem, & Childebertum Francorum Regem de Vicariatu Arelatensi. Mauro Episcopo Prænestino libellum securitaris emittit de reditibus Patrimonij cuiusdam bene persolutis. Ind. 4. principio suæ ordinationis.
557	5	16. P. C. Basilij.	31	2	Scribit Sapaudo Arelatensi Idibus Aprilis.

An. Chr.	Ind.	Cõsules	An. Imp.	An. Põt.	
558	6	17. P. C.	32	3	
559	7	18. P. C.	33	4	Iuliano Episcopo Cingulano apocham scribit 3. Kal. Maij de pensionibus Patrimonij Ecclesiastici persolutis Indictionis vij.
560	8	19. P. C.	34	5	
561	9	20. P. C.	35	1	Pelagius PP. moritur 2. Martij. Sedes vacat dies 25. IOANNES Papa, III. succedit circa diem 28. Martij. Sedit annos 13, minus dies 14.
562	10	21. P. C.	36	2	

An. Chr.	Ind.	Cõsules	An. Imp.	An. Põt.	
563	11	22. P. C.	37	3	
564	12	23. P. C.	38	4	
565	13	24. P. C.		5	Iustinianus Imperator moritur die 13. Nouembris.
566	14	Iustinus Iunior solus.	1	6	Iustinus II. Imperator succedit. Imperauit annos
567	15	P. C. 1.	2	7	
568	1		3	8	
569	2		4	9	
570	3		5	10	

An. Chr.	Ind.	Cõsules nulli	An. Imp.	An. Põt.	
571	4		6	11	
572	5		7	12	
573	6		8	13	
574	7		9	0	Ioannes Papa moritur 13. Martij. Sedes vacat menses
575	8		10	1	BENEDICTVS Papa qui & Bonosus succedit Sedit ann. 4. men. 2.
576	9		11	2	
577	10			3	Benedictus Papa obijt 30. Iul. Vacat Sedes men. 3. dies 10.
578	11			4	
579	12			0	PELAGIVS Papa II. succedit die 9. Nouembris. Sedit annos 10. menses 3. minus vno vel altero die.

An. Chr.	Ind.	Cõsules nulli	An. Imp.	An. Põt.	
580	13			1	
581	14			2	
582	15		1	3	Scribit Aunachario Episcopo Altisiodorensi 5. Octobris, Tiberij Aug. anno 7. Mauritius fit Imperator die xiij. Augusti.
583	1		2	4	
584	2		3	5	
585	3		4	6	Scribit Gregorio Diacono & Apocrisario suo de auxilio contra Langobardos impetrando 4. Octobris.
586	4			7	

An. Chr.	Ind.	Consules nulli	An. Imp.	An. Pōt.	
587	5			8	Scribit Ioanni Constantinopolitano de titulo Oecumenici siue vniuersalis Episcopi Kalen. Martij si vera est Epistola.
588	6			9	
589	7			10	
590	8			1	Pelagius Papa II. obijt 8. Februarij. Sedes vacat menses 6. S. GREGORIVS M. Papa succedit principio Indictionis 9. die 3. Septembris. Sedit annos 13. men. 6. dies 10.

Hîc desinimus abunde nos demonstrasse arbitrati, quam aptè præcedentium & sequentium Pontificum Chronologiæ quadret nostra hæc de Pontificatus Bonifatij PP. II. principio & fine Ecclesiastica observatio.

Pag. 1. *In Consistorio Sancti Andreæ.* Sic Romana Synodus sub Symmacho Papa dicitur habita in Consistorio Lateranensi. Erat autem Consistorium S. Andreæ ad S. Petrum in Vaticano. quæsitam olim fuisse ab Pontificibus & Episcopis Concilia Romę celebrantibus viciniam sacrarum Reliquiarum Sancti Petri Apostoli, vt coram eo quodammodo habita dici possent, intelligitur ex Epist. v. S. Leonis Magni ad Episcopos Siciliæ in fine.

Pag. 1. *Sabino* vers. a fine 6. Huius Canusini Episcopi Acta extant. Elogium quoque legitur apud S. Gregorium. Præfuit Synodo Constantinopolitanæ paulò post obitum Agapiti Papæ.

Pag. 1. & 2. *Mercurio* v. 1. qui paulò post creatus Pontifex Ioannes II. est dictus.

Ibid. *Bacauda* vers. 2. vide Concil. Hispaniæ pag. 448.

Seruo Dei Ibid. verſ. 4. Nomen proprium illa tempeſtate vſitatum. Pelagius II. Epiſt. ij. commemorat Epiſcopum quendam nomine & actu Dei ſervum. Legitur & ſervus Dei S. R. E. Presbyter in Synodo Romanâ Felicis III. & idem fortaſſis in Synodo Symmachi, Presbyter S. Clementis. Nominatur & apud Gennadium c. 87. quidam Epiſcopus ſervus Dei. Alius item hoc nomine Epiſcopus Nomentanus memoratur in Synodo Romanâ Hilari PP. Eſt & ſervus Dei Diaconus E. R. curator Patrimonij Eccleſiaſtici apud Siciliam S. Gregorio Magno in Epiſtolis pag. 508. Denique legitur ſervus Dei Subdiaconus Vigilij PP. Epiſt. v.

Ibid. verſ. 9. *Pullione*. Hoc nomen diuersè ſcribitur. Nam ex collatione multorum locorum intelligimus Apollionem, Opilionem, Pollionem idem eſſe vocabulum quod hîc Pullio effertur. De perſona per id nunc indicatâ, credideri m hunc eumdem eſſe cum illo ante quindecim annos ſub Hormiſdâ PP. memorato Pulione Subdia-

cono, postea ad Presbyteratum provecto. Cujus operâ is Pontifex vtebatur in gravissimis Ecclesiæ negotijs, vt apparet ex ejus Epistolis 9. & 20.

Adstantibus quoque ..... Diaconibus Ibidem vers. 12. Sic Gelasius Epist. 6. Præcipit Diaconos non in Presbyterio residere cum Divina celebrantur, vel Ecclesiasticus habetur quicumque tractatus.

Agapito Ibid. v. 13. Nempe illo qui postea ex Archidiacono tit. SS. Ioannis & Pauli, creatus est Romanus Pontifex.

Tribunus Archidiaconus dixit Theod. &c. stans præ foribus ingredi desiderat. Quid præcipitis? Ibidem vers. 14. &c. Ad Diaconorum officium pertinebat Synodi audientiam expetentibus admissionem procurare. Inde Episcopi Ægyptij in Concilio Alexandrino reiiciunt conciliabulum Tyrium contra Athanasium, quia illic Commentariensis sive Carcerarius pro Diaconis Ecclesiæ ad audientiam ingressuros admittebat.

Theodosius vir venerabilis Thessaliæ Pro-

uinciæ Echinienſis Ciuitatis Epiſcopus Ibid. v. 15. & 5. Reperitur inter ſubſcriptos Epheſinæ Synodo Θεόδωρος Ἐπίσκοπος Ἐχινάδων πόλεως ἐπαρχίας Θεσσαλίας. Pag. 3. Hinc incipit argumentũ Synodi huius, quod paucis in hæc verba colligo, Stephanus Lariſſenſis Epiſcopus Theſſaliæ Metropolita legitimè ac regulariter electus & ordinatus, mox Probiani ſuffraganei ſui aliorumque improborũ factione irregulariter Epiſcopatu priuatus ab Epiphanio Patriarchâ Conſtantinopolitano ſedem Apoſtolicam appellat, & lugubrem calamitatum ſuarum Hiſtoriam duobus libellis pertexens, reſtitui petit.

Menas Notarius recitauit pag. 3. v. 14. Hic Menas quinquennio poſt Conſtantinopoli Synodo adfuit comitatus Agapitum PP. & pag. 678. Concil. vocatur Μηνᾶς ὁ θεοσεβέστατος ἀπογνώστης τῆς Ἀποστολικῆς Καθέδρας. Reperitur etiam dictus Secundicerius Notariorum veteris Romæ.

Pag. 5. v. 14. *Denique per hoc quia venerabiles effecti ante vos, & quanti ſanctam illam Sedem habere meruerunt* &c. In his

verbis τὸ *effecti* positum videtur pro Græco γενόμενοι: nam multis alijs indicijs apparet has literas Græcè ab auctore scriptas, vt Romæ recitarentur fuisse ad verbum Latinè redditas.

Pag.6.v. 5. *Mediocriter sicut erat, meam vitam humiliter transiebam.* Ante *mediocriter* videtur deesse, *quo.* reliqua verba græcismis scatent, & sic in archetypo expressa verisimile est. μετρίως ὥσπερ ἦν, βίον μου ταπεινῶς διῆλθον.

Ibid. v. 15. *Secundum priscam consuetudinem tribus electis.* Apparet hinc non à Iustiniano repertum & introductum fuisse hunc eligendi modum; sed potius confirmatum Nou. 123.

Ibid. v. penult. *Totum autem.* græcè nimirum erat τὸ ὅλον δέ.

Pag. 7. v. 11. *Ordinationem* (Metropolitæ videlicet) *secundum priscam consuetudinem, non alibi, sed in eadem ciuitate fieri oportebat.* Ita Cyprianus Ep.68. pag 163. & seq. sic Episcopi Asiæ contendebant in Chalcedonensi Concil. Ordinationem Metropolitæ Ephesij in eâ Vrbe celebrandam.

Pag. 8. v. 1. *Vt etiam prouocaret in*

Ecclesia Dei laudem in meæ humilitatis exercere personam. Prouocaret sic positum apparet pro verbo Græco significante Probianum vltrò ambijsse & sibi præripuisse partes laudandi encomio publico Stephani electi. Id clariùs cernitur in his verbis vers. 10. paginæ mox sequentis: *Illum dico, Beatissime, Probianum qui alios festinantes* (in græco fuit σπεύδοντας studentes) *meas laudes dicere, repellens, ipse in Ecclesia Dei titulos meæ laudis exercuit*. Huius porro laudationis, quæ perorari consueuerat in commendationem Electi, in Comitijs Episcopalibus, & erat quædam quasi canonica eius in quem suffragia concurrerant institutio in Sedem, exemplum illustre habetur apud Sidonium Apolinarem post Epistolam ix. libri vij. Idem fieri solitum in electione Pontificis Romani apparet ex Pisano in vitâ Paschalis II. Papæ.

Pag. 26. vers. 16. *Vestram potest* &c. sententia exigit vt pro *vestram* reponatur *veram*.

PAg. 30. vers. 11. *Sicut præterita sessione constituistis, obseruat*. Obseruat hîc positum videtur pro græco παραδηκεῖ, expectat. vsu Ecclesiasticis illorum temporum latinè loquentibus nō insueto. Sic coll. Carth. cog. 1. *Perendie, si præcipis, obseruabimus*. Et in eumdem modum sæpiùs Cognitione 2. à quo non abludit illud Vulgatæ nostræ Prou. 8. 34. *Obseruat ad postes ostij mei*.

Ibidem. *Domino nostro* &c. sic vocari solitum Pontificem Romanum ab Episcopis olim, innumeris exemplis passim occursuris monumenta Ecclesiastica versanti, demonstrari posset. Sic enim Hormisdas compellatur in Relat. Episcop. Epiri pag. 451. Tom. 1. Ep. Decret. Quod Episcopi quoque Concilij Constantinopolitani ad eundem Hormisdam scribentes iterant Ep. Decret. pag. 532. In Concilio quoque Chalcedonensi II. pag. 170. edit. col. de S. Leone 1. sic habetur; τῷ δι-

ἀπόστολος ἡμῶν καὶ ἁγίας πατρὸς καὶ Ἀρχιεπισκόπου λέοντος. Sic in subscriptionibus Bullarum Zachariæ & Adriani Pontificum in Archio Monasterij S. Dionysij apud Dublet in Chronico, pag. 446. & 451. Vicarijs quoque ac Legatis Romani Pontificis eadem appellatio tribuebatur. Nam Illyricani Episcopi Elpidium Sedis Apostolicæ Legatum vocant in literis Synodicis ad Episcopos Asiæ apud Theodoretum lib. 4. cap. 8. τὸν κύριον ἡμῶν καὶ συλλειτουργὸν, & paulò post eodem nomine appellant Eustachium Episcopum.

Pag. 35. v. 15. ante *quia*, reponendum est *qui*. sed illud maioris momenti mendum, quod quarto post versu occurrit in illis verbis *Sanctæ Dicæsarienſis Ecclesiæ*. Dicæsaria vel Diocæsaria nulla fuit, quod sciam, in Thessaliâ. Notitia M.s. Hieroclis Cæsariam ibi agnoscit; cuius vrbis non dubito quin Episcopus hic fuerit Timotheus. Legendum ergo pro supra notatis verbis *Sanctæ Dei Cæsarienſis Ecclesiæ.*

Pag. 36. vers. 15. *Quamuis in toto Mundo* &c. diligenter notanda hæc verba

sunt, & quæ sequuntur ad sextum hinc versum. In his enim clarissimè distinguitur duplex in Romano Pontifice potestas. Prior vniuersalis in omnem Ecclesiam iure supremi Primatûs, & officio Pastoris Oecumenici ei competens: altera conueniens eidem tamquam peculiari Patriarchæ totius Ecclesiæ Occidentalis, ad cuius Diœcesim Illyrici quoque Ecclesiæ pertinerent. Vide Alexandrum de Suburbic. pag. 167. vbi hunc locum laudat.

Pag. 37. *Acholio*. Acholius hic est, de cuius obitu & laudibus extat insignis Epistola S. Ambrosij ad Thessal. lib. 3. ep. 20. & seq. 21. ad Anysium, eius labores & itinera pro Ecclesiâ Dei commemorat. Ambrosianis Epistolis duabus adde tres Basilij Magni ad ipsum Acholium, quibus insignem eius animi characterem depingit 137. 138. 139. vnde apparet eum ortu & genere fuisse Cappadocem.

Ibid. versu pòst tertio *Damasus*. Hæc & sequens Epistolâ Damasi esse videntur ex earum numero, quas multas ad varios scripsisse Damasum Nicolaus I.

epist.8. pag.43. testatur, quibus allaborabat, vt Maximus Constantinopoli expelleretur: cuius ordinationem irritam quoque declarauit Concilium Constantinopolitanum can.4. Eas Epistolas perijsse dolebat Baronius Ann. Christi 380. num.5.

Pag.38.v.2. *Qui is fuerit ardor animi, quam fœda præsumptio*, & infra vers. 16. *quanta festinatio*. hæc canon.iv.Concil. Constantinopolit. ἀταξίαν vocat.

Pag. 39. v.1. *Intra parietes alienos*. In domo Chorauli ordinatus fuit Maximus Cynicus. Sed ipse in Concil. Italiæ eam rationem facti huius attulit: quia Arriani Basilicas adhuc tenebant. Epist. Conc.Ital. Sirm. pag.104.

Pag.40. v. 6. *Huic homini, qui in habitu Idoli incedit*. Maximum intelligit Philosophum Cynicum palliatum: & Pallium vocat habitum Idoli, forte quod Dij gentium eo habitu pingerentur. Quare id genus vestis Cęlestinus Papa in Episcopis grauiter improbat tamquam superstitiosum Tom. 1. Concil. Galliæ pag. 55. in habitu quoque idololatriam latere docet Tertull. lib. de

Idololatria & Act. SS. Perpetuæ & Felicitatis.

Pag. 41. vers. 1. *Cognoui dispositum esse Constantinopoli Concilium fieri.* Si hoc Concilium esset Oecumenicum, non sic loqueretur Damasus. tale enim nisi eius prius consulti iussu ritè conuocari non poterat. Erat ergo Concilium particulare, coactus ad electionem Episcopi, qui in Sedem Constantinopolitanam excluso Maximo ritè induceretur. Quare istud Concilium Ecclesia Romana numquam pro Generali habuit, nec eius Acta probauit. Inuitauerat Damasus Orientales Episcopos cum Occidentalibus ad Concilium Romæ Generale celebrandum: sed Orientales Constantinopoli substiterunt; & Generale Concilium declinantes particulare celebrarunt, vt ait S. Ambrosius in Epist. Concilij Italiæ ad Theodosium apud Sirmondum pag. 105. Non igitur præcepto & auctoritate Damasi, vt volunt nonnulli, hoc Concilium indictum est: apparet tamen monitum fuisse, fortè ipsius Theodosij literis, Damasum de Con-

cilio habendo. Et cum Sozomenus lib. vij. cap. vij. Acholium inter eos Episcopos enumeret, qui Concilio Constantinopolitano præfuerunt, hinc apparet Damasum ei curam vicesque quodammodo commisisse, vt ostendit sequens Epistola, & confirmatur ex eo, quod Episcopi Concilij Italiæ apud Sirmondum pag. 108. docent PP. Constantinopolitanos sine Acholij iudicio Nectarium noluisse ordinare.

Ibid. v. 3. *Sinceritas vestra det operam quemadmodum prædictæ ciuitatis Episcopus eligatur* &c. Curam iniungit Damasus Pontifex Acholio & socijs à se missis, inuigilandi, vt electio illa ritè fiat, consuetudinem in hoc retinens Sedis Apostolicæ, quæ semper talem de Constantinopolitana Sede solicitudinem habuit. Quò pertinet locus insignis Epistolæ Cælestini Papæ contra Nestorium Tom. 1. Concil. Ephesini; cuius hæc verba sunt: *In tantum se solicitudo nostra extendit, in quantum ei Dominus commisit*. Ait etiam Missos, siue Responsales suos adfuisse ordinationi eius, & relationem eâ de re misisse ad

Sedem Apoſtolicam. Sic nimirum fieri ſolebat: & antequam eiuſmodi relatione acceptâ Romanus Pontifex ratam ſe habere electionem declaraſſet, firma ea non habebatur; vt diſtinctè de electione Nectarij inferius pag. 77. ſcribitur his verbis: *Clementiſſimæ recordationis princeps Theodoſius Nectarij Ordinationem, propterea quia in noſtra notione non eſſet, habere non exiſtimans firmitatem* &c. quæ vide.

Ibid. verſ. 16. & ſeq. *Ne patiamini aliquem contra ſtatuta maiorum de ciuitate alia ad aliam tranſduci* &c. Translationem Epiſcoporum Nicæni Concilij canone vetitam Romana quoque Eccleſia valde improbauit, niſi neceſſitas cogeret, aut magna & euidentiſſima vtilitas ſuaderet. Vnde Nicephorus Calliſtus & alij, qui exempla eius anxiè congeſſerunt, vnicum Perigenem Romano Epiſcopo probante translatum in Occidente reperiunt. Diſertè prohibuit tales translationes Synodus Capuana, vt teſtatur Canon Afric. 15. In Oriente quoque id ægrè permittebant Romani Pontifices; niſi

ex causis grauissimis; quales interuenerunt in Ordinatione Procli: de quâ vide Liberatum cap. 7. Vt enim is in Sedem Constantinopolitanam ex aliâ transferretur, Theodosio rogante, ob euidentissimam vtilitatem Cælestinus consensit. In Romanâ Ecclesiâ nouum Formosi exemplum eas turbas conciuit, quæ ex Hystorijs notæ sunt. Sanè Concilium Rauennatense sub Ioan. IX. cap. 3. necessitatis causâ eam translationem factam agnoscit: sed omnino interdicit, ne id exemplum vllus assumat. Ioannes VIII. Frotharium Burdegalensem post vastatam à Normannis Diœcesim ad Bituricensem Ecclesiam translaturus, necessitate barbaricâ & dispensatione cogente loci & temporis, id feciſſe testatur epist. 13. 14. & 37. Græci minus hac in re fuere religiosi, vt exempla à Nicephoro conquisita ostendunt. Sanè ex hoc Damasi loco, & ijs quæ supra dixi, apparet quid de Callixti, Antheri, & Pelagij II. fictitijs decretis censendum.

Pag. 42. v. 11. *Filij mei Rusticij* &c. Notatur Rusticius Consul. A. C. 464. &

apud Innocentium I. epist. 20. Ex eadem gente fuerit Rusticia Patricia, apud Sanctum Gregorium in Epistolis pag. 509.

Ibid. v. 17. *Gratiam Dei Romæ consecutus est*, hoc est, baptizatus est Romæ. Sic Innocentius I. Epist. ad Synodum Toletanum Concil. Hispan. pag. 52. Sic Christiani Punici Baptismum *Salutem* appellabant, teste S. Augustino. Sic infra pag. 147. S. Leo: *Qui vxorem antequam Christi gratiam consequeretur accepit, qua deficiente alteram post baptismum coniunxerit sibi*. Sed & Sacramentum Ordinis ita appellatum observo Epist. 18. Innocentij, vt enim λαβὼν τὴν χάριν, Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 3. pag. 65. de baptizato dixit ita, λαβὼν ἀρχιερατικὴν χάριν. Basilius Magnus 7. Sic S. Paulus 1. Timoth. 4. Pag. 43. vers. 16. *Anysio*. Vide S. Ambrosium epist. 5. quæ est Syricij ad Anysium & alios Macedoniæ Episcopos. Ea Epistola ostendit, Anysium cæterosque eius Cöepiscopos exquisiuisse sententiam Siricij de Bonoso Episcopo Naistidonis (vt videre est ex ep. 28.

Innocentij) sed quia Synodus Capuana paulò ante eosdem Anysium & Collegas Iudices elegerat in causâ Bonosi, Pontifex ipsos munere suo defungi iubet in causâ examinandâ; neque sententiâ interpositâ, Synodi delegationem irritam facere voluit. Sed ex Epist. 27. S. Innocentij apparet, Episcopos de examine retulisse ad Siricium; eumque suâ tandem sententiâ negotium composuisse, prout temporis necessitas tum requirere videbatur. Porrò huic Anysio recenter in Acholij locum electo gratulatur id ipsum Sanctus Ambrosius lib. 3. epist. 23.

Ibid. v. pòst 4. *Huiusmodi literas dederamus, vt nulla licentia esset* &c. Huc pertinet, quod infra pag. 145. testatur S. Leo, Siricium primum certâ ratione commisisse vices suas Anysio, respiciens haud dubiè ad hanc Epistolam. Quod hic dicitur, sine consensu Vicarij Apostolici Episcopos in Illyrico ordinari non posse, idem factum in Africâ quoque intelligitur ex eiusdem Siricij epist. 4. pag. 46. ad Episcopos Africæ. Vnde apparet Pontificem in

singulis Diœcesibus suos habuisse Vicarios eodem iure. Quin etiam ex Epistolâ decimaseptimâ Hormisdæ ostenditur, Episcopos etiam Primates cæterarum Prouinciarum relationem de suâ ordinatione misisse ad Thessalonicensem Vicarium Sedis Apostolicæ, secundum prisca exempla. De hac reseruatione Ordinationum Episcoporum Vicario Romani Pontificis, vide etiam infra pag. 68 & 80.

Pag. 44. vers. penult. *Vel Ecclesiæ Romanæ Clericum* &c. Hinc apparet Clerum Romanum semper fuisse Seminarium Episcoporum, & Pontifices Romanos iam inde à principio Ecclesijs præsertim Occidentalibus Episcopos è Clero Romano submisisse obseruat Hallier de Ordinationibus pag. 730. Vide Ioannem Diaconum de vita Sancti Gregorij lib. 3. cap. 7. & 8. Sic Ioannes Rauennas se in gremio Ecclesiæ Romanæ enutritum scribit ad S. Gerium lib. 2. epist. 55. pag. 113. eidem Marinianus successor Româ datur ab eodem S. Gregorio.

Pag. 45. v. 7. ante finem septimo.

Statim. Hoc est, vt ex Actis apparet, post dierum vnius & viginti interregnum.

Pag. 96. v. 7. *Sanctæ memoriæ Damasus*. Ergo Anysius iam tempore S. Damasi Sedis Apostolicæ vices sustinuit: successit enim, vt ex S. Ambrosio paulò superius notauimus, Acholio; quem Damasus Vicarium suum constituerat: & succesſit, vt hinc apparet, iam tum ipsius Damasi tempore.

Pag. 47. Cum Epistolâ ad Rufum. hic recitatâ confer Epistolam 20. eiusdem S. Innocentij ad Alexandrum Antiochenum pag. 77. cui eodem modo agendum consulit.

Pag. 48. v. 4. *Miseratione*. Rescribe ministratione.

Ibidem v. 12. *discat*, corrige, dictat

Pag. 49. v. 5. *Iniungi pro eorum meritis ista voluerunt*. Ergo non loco, sed personarum meritis collata fuit hæc dignitas: contra ac probare nititur vir quidam pereruditus. Vide infra pag. 60. & 91.

Pag. 50. v. 13. *Omnem sanè instructionem chartarum in causa archiuorum* &c.

Hinc apparet, quod in Concilio quoque Carthaginensi constitutum legitur, Matriculam & Archiuum apud primam Sedem & Metropolim fuisse.

Ibid. *Cum Presbytero Senecione.* Hic forte idem est, qui postea legitur, Scodrensis Episcopus.

Ibidem v. antepenult. *Per vnamquamque Prouinciam satis, vt decebat, literis manifestauimus.* Scripserat ergo S. Innocentius ad singularum Prouinciarum Metropolitas de Rufi Vicariatu. Ita & S. Leo infra 1 pist. 24. pag. 151. cum Anastasio vices suas delegaret. Ita quoque Zozimus Epist. 5. ad Episcopos Galliæ Tomo 1. Concil. Gall. pag. 42.

Pag. 52. v. 5. à fine: *Quorum preces subdendas magis credidimus esse quam narrandas.* Libellus nimirum supplex, quo aliquid postulabatur, vel ipse, vel ipsius summa subiungebatur rescripto concessionis.

Ibid. v. antepenult. *Perigenem.* Huius Perigenis causa, à Patrensi Ciuitate, à quâ reijciebatur, ad Corinthiam, à quâ expetebatur Episcopus, transf-

lati, valdè celebris est in Historia Ecclesiastica. Socrates lib. 7. cap. 35. de eâ agit, & ex eo Nicephorus Callistus. Iuo quoque Carnotensis in Præfatione Decreti. Vide etiam infra pag. 70. & sequentibus. Simile translationis exemplum vacantis Episcopi habemus apud Liberatum cap. 18. cum Simplicius Papa Ioannem Talajum Patriarcham Alexandrinum sede suâ propter Petrum Moggum carentem, ad Nolanam transtulit Ecclesiam.

Pag. 53. v. 3. *Retinere desiderant* &c. Magna in electione Episcoporum olim habebatur ratio desiderij populorum. S. Cælestinus epist. 1. *Nullus inuitis detur Episcopus: Cleri, Plebis, & Ordinis consensus ac desiderium requiratur.*

Ibidem v. 13. *Hunc à Patrensibus non susceptum &c.* Extant Canones Concilij Ancyrani 18. & Antiocheni item 18. de Episcopis non receptis in loco ad quem ordinati sunt.

Pag. 61. v. 1. & 2. *Nouæ tentamentæ* &c. Intelligit rescriptum Theodosij in fauorem Sedis Constantinopolitanæ

contra ius Romanæ Sedis in Ecclesias Illyrici, extortum præcedenti anno. Quod postea Theodosius ad petitionem Honorij Aug. reuocauit. Vide infra pag. 81. & 83. Porrò de iure illo antiquo Ecclesiæ Romanæ hæc habet Nicolaus I. epist. 2. ad Michaelem Imperatorem. *Oportet enim Vestrum Imperiale decus, quod in omnibus Ecclesiasticis vtilitatibus vigere audiuimus, vt antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini: quatenus vicem quam Nostra Sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ Sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque nouam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam Riparensem, Daciamque mediterraneam, Dardaniam, & Prævalim, B. Petro Apostolorum Principi contradicere nullus præsumat: quæ Antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricij, Innocentij, Bonifatij, Cælestini, Sixti, Leonis, Hilari, Simplicij, Felicis, atque Hormisdæ Sanctorum Pontificum sacris dispositionibus augebatur. Quorum denique institutiones ab eis illis in partibus de-*

ſtinatas, per Noſtros Miſſos, vt rei veritatem cognoſcere queatis, Veſtræ Auguſtali Potentiæ dirigere curauimus. Eodem modo Legati ab Hadriano II. Conſtantinopolim miſſi in Diſſertatione contra Vicarios Orientalium, Bulgariam ad Eccleſiæ Romanæ Ordinationem pertinere contendunt, apud Anaſtaſium Bibliothecarium pag. 342. *Sedes Apoſtolica*, inquiunt, *iuxta quod Decretalibus Sanctiſsimorum Romanorum Præſulum doceri poteritis, vtramque Epirum nouam videlicet veteremque, totamque Theſſaliam, atque Dardaniam, in qua & Dardania Ciuitas hodie demonſtratur, cuius nunc Patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonicè ordinauit & obtinuit.* Ioannes Papa commonitorium Paulo Epiſcopo fungenti Legatione in Germaniâ & Pannoniâ, inter cætera: *Nam non ſolum intra Italiam ac cæteras Heſperiæ Prouincias, verum etiam intra totius Illyrici fines, conſecrationes, ordinationes, & diſpoſitiones Apoſtolica Sedes patrare antiquitus conſueuit, ſicut nonnulla Regeſta & conſcriptiones Synodales, atque ipſarum quoque plurima Eccleſiarum in ijs poſitarum*

monumenta demõſtrant. Apud Anſelmum in Collect. Canon. lib. 4. cap. 47. cui ſtatim ſubiungitur eiuſdem Ioannis Octaui Capitulum ex Epiſtola ad Ludouicum glorioſum Regem, quâ docet: *Pannonicam Diœceſim ab olim Apoſtolicæ Sedis fuiſſe Priuilegijs deputatam. Hoc enim*, inquit, *Synodalia geſta indicant, Hiſtoriæ ſcriptæ demonſtrant* &c.

Pag. 62. verſ. ante finem 6. *Ad Synodum quæ dicitur illicitè congreganda* &c. Epiſcopi videlicet Illyrici Synodum inſcio Rufo Sedis Apoſtolicæ Vicario indixerant de Perigenis causâ recognoſcendâ ex indulto noui reſcripti Theodoſiani.

Pag. 63. verſ. 11. *Perreuij Cöepiſcopi noſtri* &c. Perrebius Pharſalienſis Epiſcopus interfuit Concilio Epheſino, vbi nunc in Græco legitur Περιβίῳ Φαρμάλῃ, principio Act. 1. Poſtea vocatur Epiſcopus τῶν Θετταλικῶν Σαλτῶν & mox eadem Act. 1. τῶν Θεσσαλονικέων Σαλτῷ: & ſic pag. 264. *Saltuum Theſſalonicenſium.*

Pag. 65. verſ. 1. *Data v. Idus Martias* &c. Eſt hic Chriſti 422. Quare hæc

Epi-

Epistola scripta est nono mense post rescriptum Theodosij, quod datum fuit Constantinopoli 14. Iulij A. 421.

Ibidem vers. 8. *Institutio vniuersalis* &c. Totum principium huius Epistolæ transcripsit Hadrianus I. Epist. 97. Codicis Carolini Editionis Gretseri pag. 322.

Ibidem vers. ante finem 6. *Adeo vt non aliquid super eum* (hoc est B. Petri honorem) *ausa sit constituere*, Synodus videlicet Nicæna. *Quia* (vt ait Epist. 8.) *Primatum agnouit Romanæ Ecclesiæ, nullum ei contulit incrementum, sed ex eius forma sumpsit.* &c.

Ibidem vers. 3. à fine. *Omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa.* Ideo priuilegia Sancti Petri, Christi statuta à Gelasio appellari docet Nicolaus loco citato.

Pag. 66. vers. 5. *Audio Episcoporum quosdam* &c. Puto intelligendos Pausianum, Cyriacum, & Calliopum factionis & seditionis auctores, qui Maximum illum sine consensu Vicarij Apostolici ordinasse videntur.

Ibidem vers. 12. *Eorum petentes auxi-*

lium &c. Hinc patet Episcopos illos ad Patriarcham Constantinopolitanum confugisse, & eius ope extorsisse rescriptum illud Theodosij, quod in vtroque Codice extat, quo Episcoporum Illyrici audientia Patriarchę Constantinopolitano vindicatur. Id postmodum Theodosius, re melius cognita, vt infra pag. 84. in eius ad Honorium Augustum rescripto legitur, supplicātium Episcoporum subreptionem vocat, qui ægrè ferebant absoluta Romani Pontificis auctoritate per eius Vicarium Thessalonicensem Episcopum, res Ecclesiasticas constitui, quas ipsi à Synodo Prouinciæ cuiusque administrari & disponi volebant, iuxta præscriptum Canonis Constantinopolitani secundi. Sed ne *ἀυτοκεφαλίαν* affectare viderentur, obortas difficultates à Constantinopolitano Patriarchâ dijudicari petebant, excluso Episcopo Romano.

Pag. 68. vers. 7. *Interpellari nos super hoc missa Legatione conuenerat* &c. Sic Atticus Nicopolitanus ad Leonem Magnum contra Anastasium Thessaloni-

censem recurrit, euentu ipsi prospero. quippe Anastasius acriter à Leone increpitus est.

Pag. 69. vers. à fine 6. *ad Orientis loca.* Intelligit Illyricum Orientis Imperio contributum; & inde pertinere ad Orientem dictum.

Pag. 71. vers. 12. *Præceptio nostra constituit.* Sic Socrates, cuius locum supra notauimus ad pag. 52. Pontificis præceptionem agnoscit. De quo frustra cauillatur Blondellus pag. 302. vide infra paginis 74. & 79.

Ibidem vers. à fine 6. *Sua de proximo moderatione pensare* &c. Ita Symmachus Papa epist. 5. In electione Episcoporum decretum sine Visitatoris præsentiâ confici prohibet; cuius testimonio Clericorum ac Ciuium possit vnanimitas declarari.

Ibidem vers. seq. *Vt nihil immaturum* &c. S. Leo Epist. 10. *Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia.*

Pag. 75. vers. 6. *Canonum sanctiones.* Innuit Can. 6. Nicænum. Mox. *quæ sit post Ecclesiam Romanã secunda Sedes* &c. Hinc apparet Episcopos Perigenis Or-

dinationem non probantes, Conſtantinopolim velut ad ſecundam Sedem recurriſſe, & Conſtantinopolitani Patriarchæ ſuaſu Synodum indixiſſe ad Perigenis cauſam examinandam, & Pontificis Romani ſententiam retardandam. Vnde in ambitionem Conſtantinopolitani inuehitur, qui ſecundum à Romano locum ſubmotis Alexandrino & Antiocheno Patriarchis affectabat. Sic quoque Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ, & apud Nicolaum I. pag. 42.

Ibidem verſ. à fine 7. *à Vetuſtate duxit.* παλαιὰ ἦθη Can. 6. Nicænus & Concil. Rom. ſub Ioanne VIII. tom. 3. Concil. Gall. pag. 460. & Hincmarus Laudun. apud Baron. ann. 871. nu. 89.

Ibidem verſ. 3. à fine. *Manus obuias Obices* legitur in Concil. Roman. Ioannis VIII.

Pag. 76. verſ. 13. *Maximas Orientales Eccleſias in magnis negotijs* &c. Sic Cæleſtinus Papa Epiſt. ad Clerum Conſtantinopolitanum Act. 1. Conc. Epheſ. pag. 286. edit. Rom. Idem teſtantur S. Ambroſius cum cæteris Epiſcopis

Italiæ ad Theodosium Imperatorem apud Sirmondum pag. 105. S. Hieronymus Epist. 16. ad Principiam. Socrates Hist. Eccles. lib. 1. cap. 11. & 13. Sozomenus lib. 2. cap. 7. Nicolaus I. Ep. 8. pag. 46. Vide & Epistolam S. Iulij Papæ Tom. 1. Decret. pag. 17.

Ibid. versu post 4. *Eius auxilium postulasse*, & vers. inde tertio. *Huius Sedis auxilium postularunt*. Ita S. Basilius Magnus Epist. 48. ad S. Athanasium, vnam viam auxilij Orientalibus Ecclesijs fuisse scribit τὸν παρὰ τῆς δυτικῶν Ἐπισκόπων σύμπνοιας; in quibus verbis per Occidētales Episcopos potissimum Pontificem Romanum intellexisse rectè obseruat Baronius ad ann. Christi 374. num. 4. Inter alia multa notiora huius auxilij à Sede Romana petiti exempla, non omittendus Ioannes Alexandrinus, qui tempore Simplicij Papæ ad Sedem Apostolicam confugit. Vide Tractatum veteris incerti Auctoris præmissum Epistolis S. Leonis Tom. 1. Epist. Decret.

Pag. 77. vers. 12. *Nectarij Ordinationem* &c. De Nectarij electione scribit

Synodus Constantinopolitana ad Damasum apud Theodoretum lib. 5. c. 9. Hisce literis puto adiunctam fuisse Legationem Theodosij Imperatoris. Sed quamuis PP. Concilij confimationem non petant à Damaso, causam tamen electionis multis verborum circumstantijs muniunt: scilicet allegantes factam ab Oecumenicâ Synodo, communi consensu, sub conspectu Imperatoris, cum totius Cleri atque vniuersæ Ciuitatis suffragio. Sed Imperator Sedis Apostolicæ consensum quoque requisiuit, vt ex hac Bonifatij Epistolâ discimus. Sanè Italiæ Concilium cum S. Ambrosio congregatum non probauit Nectarij Ordinationem, vt testatur eius Epistola ad Theodosium Augustum apud Sirmondum pag. 104. adeòque Orientalium communioni renunciant, nisi de eius Ordinatione Romæ in Concilio disceptetur; quæ res Imperatorem ad Romani Pontificis consensum & cõfirmationem petendam haud dubiè impulit.

Pag. 78. vers. 2. *Per Legatos pacem*

proposuerunt. Innuitur hîc reconciliatio Antiochenæ Ecclesiæ cum Sede Romana post 48. annorum schisma: cum Alexander Antiochiæ Episcopus missis Legatis pacem ab Innocentio obtinuit, vt ex Epist. 18. & 19. Innocentij ad Alexandrum & 21. ac 22. ad hunc ipsum Bonifatiũ tũ adhuc S.R.E. presbyterum Constantinopoli degentem, & Acacium, eâ de re scriptis, constat. Porrò ex his quæ hic subiunguntur de facilitate sedis Apostolicæ, omnia nõ difficulter indulgentis, apparet Acacium quoque, intercedente Alexandro receptum in gratiam: & Atticum præterea Constantinopolitanum volentem nolentem idem Alexander perpulit, vt S. Ioannis Chrysostomi nomine in Diptycha recepto, ad Ecclesiæ vnitatem rediret, qui missa sæpius Legatione frustrà Innocentij animum tentauerat. Ipse porrò Atticus Cyrillum Thophili successorem in Alexandrina sede suis monitis suoque exemplo ad eiusdem Apostolicæ sedis communionem perduxit. Ita omnes Orientis Ecclesiæ Innocentio reconciliatæ

cerdotij &c. Videatur etiam Siricius Epist. 4. pag. 46. Gregorius II. Epist. ad Bonifatium Tomo primo Concil. Gall. pag. 519. Gregorius III. Epist. 4. Epistola Placidiæ Gallę ad Pulcheriam in Actis Concilij Chalcedonensis pag. 25. Denique Baronius Tom. 5. Anno 433. num. 13.

Pag. 82. vers. 1. *Missa Legatio*. Similis planè Legatio S. Bonifatij ad Honorium extat in primâ Epistolâ Decretali S. Bonifatij.

Ibidem vers. 3. & 4. *Hæc Priuilegia, quæ dudum à Patribus constituta*. Non videtur hîc innuere Canonem vi. Concilij Nicæni: sed sanctiones Patrum antiquiores eiusdem sententiæ. Nam inde ad præsentem annum nondum sæculum integrum effluxerat: ipse autem Honorius mox plurium sæculorum reuerentiam hanc vocat.

Ibidem vers. ante finem 6. *Diuersorum Episcoporum subreptionibus*. Thessalorum videlicet & Achiuorum. Vide superius pag. 66.

Ibidem vers. penult. *Ne sub Principibus Christianis Romana perdat Ecclesia* &c.

Hæc hausit ex literis S. Bonifatij, quæ extant in Cod. Canonum pag. 395.

Pag. 83. vers. 3. *Rescriptum Theodosij* &c. Hoc rescripto Theodosius Iunior Aug. reuocat quæ perperam concesserat, circumuentus fraude quorumdam, vt erat is Princeps naturâ facili, cui astuti homines sæpius obrepserunt. Sic in causâ Eutichij cõtra Flauianum, quam iniquissimam Constitutionem abrogauit Marcianus Concilij Chalced. par. 3. cap. 11. Et intercesserat iam ante Valentinianus III. rogatu Pontificis Romani. Literæ extant parte 1. Conc. Chalced.

Ibidem vers. ante finem 9. *Deus enim auctor ideo Præsules fecit Christianorum Principum posteros*. Vopiscus in Probo Aureliani Aug. ad Probum nondum Imperatorem scribentis hæc verba recitat de decimanis: *Isti enim sunt qui quadam felicitatis prærogatiua Præsules nisi futuros Principes habere non norunt*. Iul. Capitolinus in M. Antonio Philosopho: *Fuit in eo Sacerdotio & Præsul & Vates* &c. Lampridius quoque in Iuliano meminit *Præsulum regendæ Reipublicæ* ab

Imperatore factorum. Cæterum Christianis quoque Principibus, vt hîc dicitur, ab Ecclesiasticis etiam Scriptoribus hæc eadem Præsulis appellatio tributa. Sic Ausonius Probum vocat Senatus Præsulem: Theodosius ipsum Senatum in Rescripto. Ita quoque Gelasius Papa Epist. 7. ad Episcopos Siciliæ de Imperatoribus loquens: *Præsulum*, inquit, *auctoritas nostrorum emanauit* &c. Sic S. Remigius & Aurelianus Arelatensis Clodoueũ & Theodebertum Reges Francorum Præsules vocant Tomo 1. Hist. Franc. pag. 850. & 858. quod tamen non eò trahendum, vt laici Principes verè sint Episcopi. Rectè enim monuit Ioannes VIII. vt habetur apud Gratianum Dist. 96. cap. 11. *Si Imperator Catholicus est, filius est, non Præsul Ecclesiæ.*

Pag. 84. vers. 2. *Susceptæ*. Lege, *susceptæ*.

Ibidem vers. 9. *Prisca Apostolica disciplina, & Canones veteres* &c. Vtrumque coniungit priscam disciplinam & Canones veteres, quoniam ipsi Canones disciplinam confirmant. Sic Gelasius

in commonitorio ad Fauſtum Magiſtrum pag. 385. *Vox Chriſti, Maiorum traditio, & Canonum auctoritas.*

Ibidem verſ. poſt 3. *Ad viros Illuſtres Prafectos Pratorij Illyrici noſtri ſcripta porreximus* &c. Meminit hîc Theodoſius Reſcripti à ſe dati, quo Conſtitutionem illam ſuam ſubreptitiam abrogauit, & Illyrici Iuriſdictionem Eccleſiaſticam in priſtinam formam reſtituit, quæ tamen Conſtitutio neſcio quorum fraude & malitiâ, non ſolum in Theodoſiano Codice remanſit, ſed in Iuſtinianeum quoque recepta fuit à Iuris Conditoribus Sedi Apoſtolicæ æquè ac Religioni Chriſtianæ infenſis. Vt fruſtra ſint qui de illius Conſtitutionis cauſis hactenus mira excogitant: Blondellus de Primatu pag. 394. & alij, ignorantes eam fuiſſe abrogatam ab ipſo qui tulit, poſtquam agnouit ſe fuiſſe deceptum in eâ ſanciendâ.

Pag. 85. verſ. 1. *Dilectiſsimis Fratribus Perigeni, Dynato, Baſilio, Sapio* &c. Plerique hi Epiſcopi, quibus hæc Epiſtola inſcribitur, interfuere Concilio Epheſino. Dynatus Epiri veteris Ciui-

tatis Nicopolis Metropolita, vt apparet ibidem pag. 264. 277. 446. & 205. qui in Latina versione Donatus dicitur. Basilius Lariſſæ Theſſaliæ Epiſcopus, qui cum Neſtorio ſentiebat. Conc. Epheſ. Act. 1. pag. 213. 226. 227. vbi Theſſaliæ Metropolita dicitur. Vnde apparet falsò ibidem Iulianum Λαρίσσας Epiſcopum vocari; & Σερδικῆς reponendum. Nam eius loci Metropolitam fuiſſe intelliges ex pag. 293. ſi tamen prius Librarij mendum correxeris, quod facies pro τῆς ἐρδικῆς reſcribendo τῆς Σερδικῆς. Sæpiùs quoque inter Metropolitas habetur, quibus ſcribunt Imperatores pag. 277. vbi etiam Iulianus & Basilius commemorantur. Paulus Epiſcopus Dardanorum pag. 264. quorum Metropolis erat Scupi. Sed pag. 209. Daldianorum Epiſcopus vocatur, & ſic quoque M.S. antiquiſſimus altero illo loco pag. 264. legit. Senecio Scodrenſis ibidem. Scodra Metropolis erat Præualis. Vide ſuperius ad Pag. 50. Sed malè in Actis Concilij pag. 205. editur πόλεως Κοδρίνης pro Σκοδρίνης.

Pag. 86. verſ. 12. *Neceſsitatem de omnibus tractandi* &c. Sic Legati S. Cæleſtini in Concilio Epheſino par. 2. Act. 2. Literas eius legi petunt, vt Synodus cognoſcat πόσην ἔχει φροντίδα πασῶν τῆς Ἐκκλησιῶν pag. 232.

Ibidem quarto poſt verſu *Inter Apoſtolos ſuos nō qui altero eſſet inferior, ſed eum maximè qui eſset primus legit*. Notandus hic locus contra ſophiſmata Nouatoris; qui ex eo quod Pontifices Romani omnium Eccleſiarum curam ad ſe pertinere affirment, Primatum Eccleſiæ Romanæ à B. Paulo, æquè atque à B. Petro deducit lib. 2. cap. 3.

Pag. 94. verſ. 15. *Id ergo quod nos quoque ſeruamus* &c. Hinc apparet venientes ex Illyrico Romam Formatam attuliſſe Vicarij Theſſalonicenſis. Vt qui è Galliâ veniebant, accipiebant ab Arelatenſi Vicario. Zozimus Epiſt. 7. & 11.

Ibidem verſ. penult. poſt vocem *Prouinciarum* videntur quædam verba excidiſſe, ſine quibus ſententia conſtare non poteſt. Reſtituendus ergo locus inſerendo poſt eam vocem, quæ

sequuntur · *quæ ad tuam spectant Ecclesiam Sacerdos sine tuo consensu accesserit, vel contra ad tuam sanctitatem istarũ Prouinciarum*. Porro de hoc Primatum Priuilegio dandi formatas, videri potest Morinus pag. 190.

Pag. 96. vers. 1. *Fratris nostri Iddua* &c. Ἴδδας Smyrnensis Episcopus Ephesino Concilio adfuit. In hunc patriarchico iure Proclus egisse videtur; à cuius iudicio cum Idduas ad Sedem Apostolicam prouocasset, Xystus Procli sententiam ratam esse iussit. Episcopos Asianæ Diœceseos Constantinopolitani Episcopi iurisdictionem ægrè tulisse apparet ex tumultu Ephesiorum ob Basilium à Proclo Constantinopoli ordinatum, vt videre est in Concil. Chalced. Act. 11. pag. 305. quin etiam cum Constantinopolitani potestas Concilij Chalcedonensis decreto confirmata esset, non destitere Asiani iugum detrectare aut excutere: vnde etiam Timotheus Alexandrinus Episcopum Primatem in integrum restituere conatus est, contra Constantinopolitanam Sedem, vt testatur Euagrius lib. 3. cap. 6.

Pag. 99. verſ. 6. *cuſtodità*, lege *conſtituta*.

Quarto inde verſu. *Ad curam nunc pertinent Theſſalonicenſis Antiſtitis.* Nunc, inquit, quia non id Sedis, ſed perſonæ priuilegium eſt. Et alij Epiſcopo Vrbis alterius pro arbitrio Romani Pontificis demandari poterat illa cura.

Pag. 100. v. 8. *Nec his vos Fratres cariſs. conſtitutis, quæ præter noſtra præcepta,* His verbis innuit negotium Iuuenalis Epiſcopi Hieroſolymorum, qui in Epheſinâ Synodo principatum Palæſtinæ Prouinciæ obtinere ſtuduit, contra Metropolitam Cæſarienſem. De quâ re vide S. Leonis Epiſt. 66. ad Maximum Antiochenum.

Pag. 105. verſ. 15. *Quoniam vero & hoc ſtatutum eſt &c.* vſque ad finem pag. In his verbis duo memorantur ſtatuta Synodorum duarum Conſtantinopolitanæ & Chalcedonenſis. Prius decernebat τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς Epiſcopo Conſtantinopolitano Can. 3. Concil. Conſtantinop. 1. Id Anatolius, qui tempore Chalcedonenſis Synodi Conſtantinopoli ſedit, interpretans in eum ſen-

ſum,

sum, vt Constantinopolitano tributus est locus secundus à Reuer. Patriarchâ, hoc ipsum magno ambitu à Chalcedonensi Synodo confirmari, & disertè sibi concedi curauit, ac quia decretum istud perlatum est inuitis & repugnantibus Legatis Apostolicis: vnde satis intelligebatur ratum esse non posse, nisi clarè à Romano Pontifice comprobaretur, egit idem Anatolius cum Marciano & Valentiniano Augustis, vt hanc necessariam confirmationem impetrarent à s. Leone Magno per hanc Epistolam. sed frustra fuit. Nam vt ex sequenti s. Leonis responso constat, id disertè negatum est, & interposita Anatolij ambitio grauiter increpita. Huius quæsitæ intercessionis meminit Gelasius 1. Tomo de Anath. vinculo pag. 377. & Ep. 11. pag. 401. Apparet autem ex hoc Imperatorum testimonio Binium frustra hunc Constantinopolitanum Canonem in suspicionem adducere, quasi suppositium, aut furtim Concilio superadditum. quod ille ex Baronio hausit An. 381. num. 35. Sed Patres Concilij Chal-

cedonensis vbi eum Canonem confirmant, canone 28. pro vero & legitimo agnoscunt. Cæterum quia, vt scriptum est, *Superbia eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper*, Græci schismatici Constantinopolitanum Patriarcham quam maxime possent extollere contra fas conantes, impudenter deinde mentiti sunt, non secundum tantum à Romanâ Sede locum istis Synodorum Canonibus Constantinopolitano Patriarchæ attributum, sed omnino primum supra ipsam Romanam. Id enim disertè tradit Anna Comnena, lib. 1. Alexiadis pag. 31. quod quam vanum & impudens sit, per se cuiuis est manifestum.

Pag. 106. *Roma Iunior* &c. quam ineptè ex hac appellatione Romæ Iunioris secundus locus Constantinopolitanæ Sedi à Romanâ vindicetur, differit Gelasius Papa Epist. 11. pag. 401. *Quia*, vt ait: & mox pag. 111. hic dicitur, *alia ratio rerum sæcularium est, alia diuinarum*.

Pag. 109. vers. 12. *proprieque* rescribendum videtur *properèque*.

Pag. 112. v. 6. *Non dedignetur regiam Ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem*. Tres reliqui Patriarchatus, Romanus, Antiochenus, Alexandrinus, Apostolicæ Sedes erant a S. Petro fundatæ. Vide Gregorium Magnum lib. 6. Epist. 37. vide etiam infra pag. 125. Quartus & ordine vltimus Patriarchatus Constantinopolitanus non erat Ecclesia Apostolica, nec talis fieri poterat.

Pag. 113. v. 11. *Precor & sedula suggestione vos obsecro* &c. Vide Epistolam S. Leonis 63. vnde apparet Imperatorem ita ad has literas respondisse, vt probaret obseruantiam S. Leonis de custodiâ Canonum paternorum, & ostenderet sibi placere: *Vt & fides Nicæna suam teneret firmitatem, & priuilegia Ecclesiarum illibata permanerent*; cuius responsionis etiam Gelasius meminit.

Pag. 123. v. 15. *Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur* &c. Agit hîc de Canone Constantinopolitano superius memorato, quem irritum esse contendit. Canones enim illi Constantinopolitani ab Ecclesiâ Romanâ non

fuere admissi, neque approbati. Vnde & Lucentius Act. 14. Synodi Chalcedonensis, eos inter Synodicos Canones haberi negabat, & sic Gregorius Magnus lib. 6. Epist. 31.

Pag. 127. v. à fine 9. *Vt consuetis*. legendum videtur *Vt consueuistis*, vel *consuestis*.

Pag. 129. v. à fine 5. *Qui enim sacrilegum errorem* &c. Vide Concil. Chalced. parte 3. cap. 8. & 9. Epistolas Marciani ad Alexandrinos & Palæstinos Monachos; & cap. 13. & 14.

Pag. 130. v. 6. *Benignè enim his consulitis* &c. Confer Epist. S. Leonis 61. & 62. quibus Aëtium depositio Andreâ ad Archidiaconatum restitui petit.

Pag. 136. v. 6. *Nullam esse culpam in me* &c. Hæc innuit Gelasius 1. Tom. Anathem. pag. 377. 380. & 401. sed vide Liberati Breuiarium cap. 13. in fine.

Ibidem vers. post 5. *Sed Constantinopolitanæ Ecclesiæ reuerentissimus Clerus est, qui hoc habuit studium* &c. Facundus Hermianensis lib. 5. pag. 211. hunc Ana-

tolij locum citat. Porrò quod hîc dicitur, apparet ex Act. 11. Concilij Chalced. & confirmat Photius Tyrius in eadem Synodo pag. 44. Edit. Colon. vbi habet hæc verba: ἀπεδέξω κατὰ καιρόν τινα ἰσχνῶς &c,

Ibidem vers. post 7. *Cum & sic gestorum vis omnis & confirmatio auctoritati Vestræ Beatitudinis fuerit reseruata.* Idem Gelasius loco paulò ante citato. En vt agnoscit ipse Anatolius illum qualemcumque Chalcedonensem Canonem, vt ratus & firmus esset, debuisse corroborari confirmatione & auctoritate Romani Pontificis.

Pag. 137. vers. vlt. *Vt mihi de Sanctis Prædecessoribus tuis* &c. Simili modo exemploque Antecessorum exhortatur Maximianum Cælestinus Conc. Ephesini par. 3. cap. 22.

Pag. 138. v. 13. *Auctoritatem Attici.* Atticus licet vir esset mansuetus, sectarijs tamen cũ opus esset, terribilem se ostendit, teste Socrate Hist Eccles. lib. 7. cap. 40. quod & Cælestini de eo Elogium confirmat Concil. Ephes. par. 1. cap. 18. pag. 134.

ptis Epistolis manifestissimè constare istum Thessalonicensium Vicariatum, & euidenter patere quâ fide Blondellus libro contra Primatum pag. 393. Vicariatus Thessalonicensis vestigium in antiquis monumentis extare vllum neget.

Pag. 147. v. 10. *Vt vnius vxoris vir sit* &c. & v. post. 8. *Qui vxorem antequam Christi gratiam consequeretur accepit* &c. Quod bigamum faciat etiam illa quæ ante baptismum vxor fuit; Vide Sanctum Ambrosium lib. 3. Epist. 25. pag. 193. Innocentium I. Epist. 1. & 13. & apud Sirmondum Tomo 1. Concil. Gall. pag. 41. Item Epist. 27. ad Rufum cæteroſque Episcopos Macedoniæ prolixè hunc locum tractat. Cõcilium quoque Valentinum Galliæ sub Damaso cap. 1. de digamis non consecrandis, *Nec requirendum*, ait, *vtrumne initiati Sacramentis Diuinis, anne Gentiles hac se infelicis sortis necessitate macularint*. Vide etiam Baronium Tomo 5. Ann. Christi 405. num. 60.

Pag. 158. v. 10. *Senecioni*. Hic fuit Episcopus Scodrensis.

Paulò post *Lucæ*. Hic fuit Episcopus Dyrrachij.

Statim post *Antiocho*. Legendum puto *Attico*. qui fuit Epiri veteris Metropolita Nicopolitanus.

Statim post *Vigilantio*. Hic fuit Episcopus Lariſſæ. Est autem hæc Epistola scripta contra Petrum Corinthi siue Achaiæ Metropolitam, eiusque malas ordinationes.

Pag. 165. *Damasi Papæ Epistola siue exemplum Synodi habitæ Romæ* &c. Huic forte Romanæ Synodo lucem aliquam afferre poterunt quædam quæ notantur in Synodico Pappi. Hæc videlicet: *Synodus 65. Romana Damasi Anno Christi 368.* Qui synodum nonaginta Patrũ congregauit, & Auxentium Anathemate damnauit, ὅθεν δὲ Ζεβεδαίας ἐκθέμενος, ὃν πρὸς Ἰλλυρικὰς ἀπέστειλεν. *Synodus 69. Illyricana Orthodoxa. Eodem anno.* Valentinianus ex præcipuis fidei propugnatoribus in Illyrico Synodum fieri iubet. Hi Tomum suum in Asiam miseruntdamnato Polychronio, alijsq; hæreticis. An huc spectet Epist. Basil. M. de Anysio, Vide Baron. *Synodus*

72. *Romana Damasi quarta Anno Christi* 375. *sub Gratiano Imperatore*. Damasus Romæ Synodum conuocauit contra Arianos, Pneumatomachos, alioſq; hæreticos. ὅθεν θεόν κεφαλαίων ἐκθέμενος, ἐν Θεσσαλονίκῃ περὶ τὸν Παυλῖνον ἀπέστειλεν ἐκ θείας οἰκονομίας παντα χοῦ τὰ μίγιστα δόγματα. Hauſit ex Theodoreto. Paulinum Theſſalonicenſem Epiſcopũ hoc tempore nullum reperio. Errorem tituli apud Theodoretum Theſſalon. pro Antiocheno notauit Baronius Ann. 378. num. 41. *Synodus* 74. *Aquilegien. Anno Chriſti* 381. Gratianus mandauit Damaſo Papæ, vt Aquilegiæ Synodum cogeret, cui præſedẽrunt Ambroſius Mediolanenſis & Acholius Theſſalonicenſis. Hæc Synodus expoſuit Tomum, & ad Theodoſium miſit, quaſi generalis Synodus eſſet. Interfuerunt totius Occidentis Epiſcopi. *Synodus* 76. *Romana Damasi quinta. Anno Chriſti* 382. celebrata, Gratiano iam ſublato. Damaſus decretum Conſtantinopolim ad Synodum miſit. *Synodus* 92. *Theſſalonicenſis Eudoxij Anno Chriſti* 453. Congregata ab

Eudoxio Episcopo Thessalonicēsi iussu Leonis Imperatoris contra Eutychen, Dioscorum, & Timotheum, & ad Synodi Chalcedonensis confirmationem. *Synodus 113. Thessalonicensis sub Hormisda.* Mortuo Anastasio Imperatori cum succedisset Iustinus, Hormisdas Papa plurimos Episcopos Thessalonicam misit, ad confirmandam Synodum Chalcedonensem. Sed hæretici incensâ domo Synodum dissiparunt.

Reperimus & hoc quoddā inter Holstenij schedas Diagramma chronotacticum Pontificatus Damasi, quod hic exhibendum duximus.

Anno 359. habitum Concilium Ariminense.

Anno 367. Damasus creatur Papa xv. Septembris.

Anno 369. Hilarius Mediolani agit contra Auxentium.

Auxentius ambigua professione Imperatorem fallit. Hilarius vt schismatis auctor ea Vrbe pellitur.

Duo Concilia hoc anno Romæ habita a Damaſo.

1. Contra Valentem & Vrſacium.

2. Contra Auxentium. in quo ipſe damnatur, & formula fidei Ariminenſis.

Eodem anno Concilium Alexandriæ habitum à S. Athanaſio, qui inde literas ad Epiſcopos Africæ dedit, hæſitantes vtrum Ariminenſem an Romanam fidei profeſſionem amplecterentur.

Ambroſius hoc anno præficitur Liguriæ & Aemiliæ à Probo Præf. V.

S. Baſilius hoc anno ordinatur Epiſcopus. 14. Iunij.

Anno 370. S. Hilarius moritur 13. Ianuarij.

Valens Athanaſium Alexandria pelli iuſſit. Paulinus Antiochiæ non pellitur, neque Epiphanius Salamine.

Anno 371. Baſilius laborat pro ſchiſmate Antiocheno tollendo. Epiſt. 90.

Orientales Epiſcopi Occidentalium auxilium implorant.

Gregorius Nazianzenus ordinatur Epiſcopus Saſimorum.

Euſebius Epiſcopus Vercellenſis moritur.

Anno 372. S. Athanasius moritur 2. Maij.

Anno 373. Concilium Romanum sub Damaso contra Apollinaristas & alios, cuius extant anathematismi.

Anno 374. Ambrosius eligitur Episcopus Mediolanensis 30. Nouembris. consecratus 7. Decembris.

Anno 375. S. Martinus fit Episcopus Turonensis.

Anno 378. 1. Ianuarij moritur S. Basilius.

Acholius Thessalonicensis Gothos arcet.

Imperatores Catholicos habendos pronunciant qui Damasi communionem amplexarentur.

Mense Octobri Concilium Antiochiæ habitum, ad sopiendum schisma inter Meletium, Paulinum & Apollinarem, ex Epistola Gregorij Nysseni, qui adfuit.

Tria hoc Concilio peracta. 1. Ne alterutri decedenti daretur successor. 2. Confirmata regula fidei. 3. Decretæ Legationes Episcoporum ad diuersas prouincias, in quibus fuit etiam Eu-

sebius Samosatenus. Et Gregorius Nazianzenus, qui fuit Legatus Constantinopolim.

Anno 379. Theodosius fit Imperator 16. Ianuarij.

Gregorius Nazianzenus regit Ecclesiam Constantinopolitanam.

Maximus Cynicus eiusdem Ecclesiæ Episcopus ordinatur à vij. Episcopis Ægyptijs.

Anno 380. Theodosius Thessalonicæ baptizatur ab Acholio Episcopo.

Maximum Cynicum electionis confirmationem petentem reijcit.

Theodosius Gregorium Nazianzenum renitentem vult constituere Episcopum Constantinopolitanum.

Anno 381. 10. Ianuarij Edictum Theodosij contra hæreticos Nicænam fidem improbantes.

Concilium Oecumenicum Constantinopoli habitum mense Maio.

Maximi temeritas damnatur. Gregorius Episcopatum deponit propter discordiam Episcoporum. Meletius Constantinopoli moritur. Flauianus Episcopatum eius suscipit viuente Pau-

lino. Gregorij loco Nectarius eligitur.

15. Septembris celebratum Concilium Aquileiense.

Damasus indicit Concilium Romæ, quod Orientales subterfugiunt.

Anno 382. Paulinus Antiochenus proficiscitur Romam, vt & Epiphanius Cypri. Orientales post Concilium Constantinopolitanum mittunt Legatos cum Epistolis ad Damasum, quibus acta ibidem perscribunt, de Canone & priuilegio Constantinopolitano nullam faciunt mentionem. Sed frustra Canon ideo in suspicionem adducitur.

Concilium celebratum Romæ cuius acta perierunt, sed decretum remansit de Ordine Ecclesiarum Patriarchalium, in quo nihil de Sede Constantinopolitana.

Anno 383. Arcadius appellatus Augustus à Patre 15. Ianuarij.

25. Augusti Gratianus Imperator occiditur.

Anno 384. S. Augustinus Mediolanum venit ad docendum Rhetoricam.

Symmachus Præfectus V. Deorum cultum defendit.

Honorius naſcitur.

Damaſus Papa moritur 11. Decembris.

Ad *Synodum Leonis* IV. *Parte* II.

Pag. 60. verſ. 6. *tam factus quam faciens* &c. Vide Epiſt. 6. Gelaſij Papæ pag. 373.

Pag. 61. *De indoctis* &c. vide quæ de his ſtatuunt Synodus Sueſſionenſis ann. 853. Canon. 3. & Gelaſius Papa, Epiſt. 6. pag. 371. Tom. 1. Decretal.

Pag. 63. verſ. Capitis 1. *Conſecrare*. In Collect. Cardin. Deusdedit lib. 1. cap. 125. vbi recitatur hic Canon, legitur *Conſecrari*. & verſu ſequenti pro *Clericis*, illic habetur *Clero*.

Pag. 64. verſu 2. *Piſſime*. Cardin. Deusdedit lib. 1. cap. 122. legit *Sæpiſſime*.

Pag. 88. *Vt Laici ad Miſſas* &c. Simile quid Bonifatius II. conſtituiſſe dicitur. Alijs verbis hoc Capitulum citatur à Card. Deusdedit Collect. Can. lib. 2. cap. 49.

Pag. 89. *Cap.* xxiv. *de Scholis*. De Scholis Eccleſiarum earumque Magiſtris eruditè & prolixè diſſerit Altaſerra lib. 2. cap. 7. pag. 107.

Pag. 95. verſ. 3. à fine: *Tantam ſuperfluitatem Presbyterorum Forenſium*. Sacerdotes qui non ſunt è Canone vocantur ſuperflui περιττοὶ à Iuſtiniano Nouell. 16. cap. 1. Porrò qui forenſes hîc dicuntur Sacerdotes, in Collect. Martini Braccarenſis Foraſtici, Pagenſes & Vicarij vocantur Can. 56. Sed Leo Papa multò laxius hoc loco accipit pro quibuſcumque ex aliena Diœceſi Sacerdotibus.

Pag. 97. verſ. 6. *Sacris Oratorijs*. Vide Can. 15. Synodi Aruernenſis 1.

Pag. 103. v. 7. ante *quo*, repone *à*.

Pag. 105. v. 5. à fine *Nam è multimodis* &c. Card. Deusdedit lib. 2. cap. 46 legit: *Nam multis modis*.

Pag. 111. v. 12. *Peruenit*. Alij libri habent, *peruenerit*.

Pag. 112. v. 9. poſt *perdurat*, adde, *à miniſterio*.

Finis Notarum Poſthumarum Luc. Holſtenij.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
Quæ in toto hoc Opere continentur.

ABbates quales esse debeant. 2. par. 38. 79. 128. Qualiter se gerere debeant circa Monachos ob negotia extra monasterium egressos. 2. p. 83. Bona monasterij alienare nō possunt. 2. p. 217.

Abundantius ab Ecclesia sua pulsus ad Sedem Apostolicam confugit. 1. p. 19.

Accusatorum vita examinanda. 1. p. 17.

Administratorum sæcularium officium. 2. par. 161.

Aduocati Episcoporum quales esse debeant. 2. p. 32. 73. 126.

Aegyptij in habitu gentilium incedentes arguuntur & a Sacerdotio repelluntur. 1. p. 40. 43.

Ambitionis malū. 1. p. 118.

Ambitiosorum studijs nō cedendum. 1. p. 61.

Anatolij Constantinopolitani ambitio retunditur. 1. p. 118. & seqq.

Anastasij Papæ elogium. 1. p. 45.

Anastasius presbyter tituli S. Marcelli exauctoratur, & cur. 2. p. 101. & seqq. 138. & seqq. 274. Varia eius crimina recensentur. 2. par. 144. & seqq.

Angelis Deorum nomen attributum. 1. p. 186.

Appellationes pro iustitia impedientes qualiter puniendi. 2. p. 184.

Appellationes variæ Episcoporum Orientalium ad Sedem Apostolicam 1. p. 3. 14. 15. 20. 21. 24. 34. 64.

Arbitrio post lapsum Adæ

de fides non remansit. 1.p. 201.
Ariminensis congregatio Nicænæ fidei obstare nequit, & cur. 1. par. 168.
Arma sumentis aut consilium dantis contra Christianos pœna. 2.p. 180.
Arrij impietas. 1.p.182.
Arrogantes comprimendi. 1.p. 49.
Arsenij suasu filia Adriani Papæ rapitur. 2. p. 137. mors funesta. 2.p. 138.
Arx Sacerdotij Petro cõmissa. 1.p. 51.
Athelbertus Anglorum rex cum benedictione Apostolica fit monachus. 2.p.247.
Aucupatio Clericis illicita. 2.p. 27.67.124.
Auctoritas Sedis Apostolicæ non temeranda. 1.p.84.
Auxilium præstantes ecclesiastico iudicio obnoxijs excommunicandi. 2.p.160.

B

Baptizandi infantes intra annum. 2. par. 182.
Baptismum renuens qua pœna afficiendus. 2.p. 179.
Baptismus in quo fiat. 1. p. 180. non fit in Angelorum nominibus. Ibidem. Peccata & illicita abolet, non licita. 1.p.148. Quo tempore tradendus. 1.par. 219. 2.p. 182. Pro eo nihil exigendum. 2.p. 175.
S. Benedictus quid Monachis prohibuerit. 1.p. 243.
Beneficia Dei sæpe creduntur esse contraria. 1.p. 57.
Bigamia per baptismum non tollitur. 1.p. 148.
Bigamus licet ante baptismum non ordinandus. 1.p. 147. 155. 217. 2.p.295.

C

Canones Apostolorum quot ab Ecclesia recepti

cepti 1. par. 263.
a Canonum præceptis nõ discedendum. 1. p. 100. vide *Decreta*.
ad Concilium Diœcesanum accedere tenentur presbyteri. 2. par. 97. 132.
Conciliorum vsus & vtilitas. 1. p. 145. 156. 2. p. 226.
Capitis officium. 1. p. 161. Illi honor seruandus. 1. p. 67. 101.
Cardinales soli ad Pontificatum prouehendi. 1. p. 258. 259. 266.
Caritas vera quæ. 1. par. 172.
Caritate plurimum præstat adunata societas. 1. p. 150.
Caritatis bellum grauissimum Philosophia. 1. p. 39.
Chalcedonensis Concilij auctoritas. 1. p. 199. pro Christmate nil exigendum. 2. p. 175.
Christi variæ denominationes. 1. par. 178. 179. In eo Spiritus septiformis requieuit. 1. p. 178. Quid de illo fide tenendum. 1. p. 171. 175. 180. & seq. 188. Variæ hæreses de Christo recensentur & damnantur. 1. p. 181. & seqq. 188.
Clerici Calaritani Episcopum apud Sedem Apostolicam accusant. 1. p. 250. Romam euocati venire renuentes excommunicantur. Ibid.
Clerici Simoniaci. Vide *Simoniaci*.
Clericis quarta pars reditus assignanda. 1. par. 218. In eorum ordinationibus canonicus ordo seruandus. 1. p. 172. 268. 2. p. 53. In claustris, & vita communi habitent. 2. par. 24. 64. Non plures ordinandi quam facultas sufficiat. 2. p. 25. 65. 95. & seq. 123. 132. De femina suspecti ab illius colloquio abstineant. 2. p. 30. 70. 125.
Clericus laicũ pulsaturus quem Iudicẽ adire debeat; & contra. 1. par. 237.
Clerus Romanus Episcopo

porum seminarium. 2. p. 266.
Collatione frequenti omnis culpa vitatur. 1. p. 149.
Comam nutrire nefas. 1. p. 38. 40. 43.
Comatus a Sacerdotio repellitur. 1. p. 40. 43.
Concubinarij qualiter emendandi. 2. p. 93. 131.
Confessio spontanea delictorum clam commissorum Sacerdoti facta a morte excusat. 2. p. 180.
in Confessione S. Petri alicuius criminis accusati, sese purgaturi Romam euocabantur. 1. p. 249.
Coniuges sine conscientia Episcopi vitam religiosam amplecti non possunt. 2. p. 45. 92. 131.
Coniugium illicitum fortitus qualiter puniendus. 2. p. 182.
Coniugium inter consanguineos & affines illicitum. 2. p. 46. 94. 131. 134.
Consecrare quid sit, 1. p. 219.
Consecratus non dicendus ab Ecclesia separatus sed execratus. Ibidem.
Consistorii appellatio vnde. 2. p. 228.
in Consistorio S. Andreæ Conciliacelebrabantur. 1. p. 1. 29. 2. p. 250.
Constantinus Apostolicæ Sedis inuasor deijcitur. 1. p. 259. Ordinationes ab eo factæ irritantur. 1. p. 265.
Consuetudines seruandæ. 1. p. 64. 227.
Corinthiorum præsumptio arguitur. 1. p. 70.
Corpora Christianorum ad cœmeteria Ecclesiæ deferenda. 2. par. 183.
Cynicus Aegyptius a Sacerdotio repellitur, & cur. 1. p. 38. & seq.

D

DAtiones a Sacerdotibus exigere an Episcopo liceat. 2. p. 37. 78. 128.
Decima pars substantiæ aut laboris Sacerdotibus do-

donanda. 2.p.180.
Decimæ quibus soluendæ 2.p. 167.181.
Decimas non soluentes quomodo puniendi. 2. p. 133.
Decretis vetustis non derogandum. 1.p.64.82. 68.73.84.111.112.129 122.146.217.2.p.51.
Defuncti corpus cremare nefas. 2.p. 179.
Deorum nomen Angèlis & Sanctis a Deo impositum. 1.p. 286.
Diaboli versutiæ. 1. par. 78.
Diabolo sacrificans, qua pœna mulctandus. 2.p. 179.
Diaconorum officium in Concilijs. 2.p. 252.
Dimissoriæ Clericis qualiter ab Episcopis concedendæ. 2.p. 33. 72. 126.
Dissensione Satanas semper lætatur. 1. p. 78. Ea dissipantur, quæ magno studio connectuntur. 1.p.159.
Diuini Sacerdotibus, & Ecclesijs tradendi, 2.p. 183.
Diuinitas non partienda. 1.p. 186.
Diuisionis malum. 1. p. 78.159.220.& seq. 223 & seq.
Dominici diei obseruatio. 2.p.41.85.129. Eo die delinquentes custodiæ tradere non vero iudicare licet. 2.p. 41.85. 129. Nec placita aut conuentus publicos facere, nisi vrgente necessitate. 1.p. 182.
Domus Dei violator, qua pœna mulctandus. 2.p. 154.
Ducibus Episcopos præsentare, aut dona ab eis exigere prohibetur. 2.p. 153.

E

EBionis hæresis. 1. par. 182.
Ecclesia nulla est nisi in Apostolica radice fundata. 1. p. 222. Vnica est. Ibid. & 225.
Ecclesiæ cura personis idoneis Apostolorum, & Moysis exemplo, a Summis Pontificibus

committitur. 1. p. 48. & seqq.
Ecclesiæ Romanæ ius in omnes Mundi Ecclesias. 1. p. 18. 36. Potestas. 1. p. 28. Præcellentia. 1. p. 4. 26. Prouidentia & sollicitudo. 1. p. 5. 26. 39. 48. 69. Sola in ecclesiasticis causis vndique appellanda. 1. p. 14. 18. 32. 36. Caput est omnium Ecclesiarum. 1. p. 65. Contra illã nil audet Nicæna Synodus. 1. p. 66. Ei datum est a Deo iudicare. 1. p. 15. 23. Nulli iniustè noceri patitur. 1. par. 18. a calumnia vindicat. 1. p. 28. Periclitantibus semper succurrit. 1. par. 24. 28. Exaltat humiliatos, & elatos humiliat. 1. p. 72. In ea Petrus & Christus auditur, & creditur. 1. p. 34. Qui se ab illa excidit fit a Christiana religione extorris. 1. p. 66. Ei rebellantes semper sunt iudicati. 1. p. 75. Eã in grauibus negotijs Ecclesiæ Orientales semper cõsuluerũt. 1. p. 76. & seq. Dubia ex Concilijs generalibus emergentia ad eam spectat examinare. 1. p. 227. Dum punit malum, diligit non persequitur. 1. p. 228. Eius patrimonium in quo consistat. 2. p. 163. Aliquid ab eo subtrahens excommunicatur. 2. p. 164. & seq.
Ecclesiæ summa in B. Petro consistit. 1. p. 65. 69. 73. 74.
Ecclesiæ reuerentia debita. 2. p. 177.
ad Ecclesiam quam modestè accedendum. 2. p. 45. 91. 130. Quo fine. Ibidem.
ad Ecclesiam confugiens non vi pellendus. 2. p. 178.
in Ecclesia viri a mulieribus separandi. 2. par. 43. 88. 130.
Ecclesiæ paupertati, quomodo prouidendum. 2. p. 180.
Electio Episcopi a quot Episcopis facienda. 1. p.

1. p. 6. 2. p. 255.
Electio Summi Pontificis a quibus facienda. 1. p. 259. & seq. 2. p. 209.
Eam impedientes, qualiter puniendi. 1. par. 264. 2. p. 209. 214.
Electioni interesse cum armis illicitum. 1. par. 261. 264.
Eligendi soli Cardinales. 1. p. 258. 259. 266.
Eleutherius filiam Adriani Papæ raptam cum matre occidit. 2. p. 137.
Episcopi quales esse debeant. 1. p. 41. 43. 2. p. 18. 19. & seq. Non præmijs consecrandi. 2. p. 20. 60. 121. Nonnisi apud Sedem Apostolicam causam dicere & examinari debent. 1. p. 14. 33. Transire de Ecclesia ad Ecclesiam, & de Ciuitate ad aliam nō eis licet. 1. p. 41. 183. Scandala, quæ exinde oriātur. 1. p. 41. Pro qualitate audientium doceant. 2. p. 21, 61. 121. Ordinati contra consuetudinem non sunt Episcopi. 1. par. 227. Simoniace ordinati. Vide *Simoniaci*. Extra Ecclesiam non consecrantur, sed execrantur. 1. p. 219. Intra tres menses consecrari tenentur. 2. par. 152. Res immobiles de subiectis plebibus, aut alijs pijs locis vsui proprio applicare non possunt. 2. p. 30. 217.
Episcopi ob hæresim, & alia crimina a Sede sua expulsi. 1. p. 197.
Episcopi Orientales a B. P. communione seiuncti reconciliantur. 1. p. 78. 2. p. 279.
Episcopi a ducibus non præsentandi. 2. p. 153.
Clerici, Sanctimoniales, pupilli, & viduæ sub eorum sunt tutela. 2. p. 154. Nomina excommunicatorum vicinis Episcopis, & Parochianis indicare tenentur. 2. p. 159.
Episcoporum electio a quot Episcopis facienda. 1. p. 6. 2. p. 255.
Episcoporum quorumdam ab Ecclesia Romana

separatio. 1. p. 66.
Episcoporum erga Sedem Apostolicam reuerentia, & subiectio. 1.par. 68.
Episcopus non consecrandus inuitus, & nisi fuerit a populo postulatus 2.p.23.63.122. Quamdiu ab Ecclesia sua abesse possit. 2.p. 24.64. 122. Quo casu dimissorias Clericis concedere teneatur. 2.p. 33. An & quales Aduocatos habere debeat. 2.p.32. 73. 126. Dationes a Clero, & pijs locis non exigat. 2. p. 37. 78. 128. Presbyteros Ecclesijs, & Xenodochijs constituat. 2. p. 99. Ecclesiæ suæ rem alienare non potest. 2. p. 132. 213. 216. Clericum alterius Episcopi sine illius cessione non sibi vendicet. 2.p. 162. Vxoratus quomodo se habere debeat circa vxorem, & filios ratione bonorum Ecclesiæ. 1.p. 233.
Episcopo Thessalonicensi cura totius Illyrici saluo Primatu demandatur. 1.p. 44.48.49.52. 56.60.61.68.71.72.87. 91. 99. 145. 154. 159. Nulla ordinatio sine illius consensu facienda. 1.p. 44.68.80. 87. 91. 148. Ad illum causæ maiores referendæ. 1.p. 91. Metropolitani ab eo ordinandi. 1. p. 149. 157. Vt arbiter causas dirigat, & definiat, vt intercessor. 1. p. 50. Arbitros sibi asciscat. 1.p. 92. Causas grauiores ad Sedem Apostolicam referat. 1.p. 145. 157. Iniuriam illi factã Summus Pontifex suam reputat. 1.p. 67. Sine illius forma Sacerdotes ad se venire prohibet. 1. p. 95. Concilia ab eo conuocata ab Apostolica Sede confirmanda. 1.par. 99.
Eunomij impietas. 1. p. 182.
Excommunicantur non solum crimine obnoxij, sed etiam illis con-

coniuncti. 2.p. 260.
in Excommunicatione per annum sordescentes. 2.p. 159.
Excommunicatis mortuis non communicandum. Ibidem.
Excommunicatorum nomina ab Episcopo vicinis Episcopis, & Parochianis indicandi. Ibidem.
Excommunicatorum fautores communione priuandi. 2.p. 158.

F

FAbricis quarta pars reditus, & oblationum applicanda. 1. p. 218.
Feminæ religiosæ qualiter se gerere debeant. 2.p. 40.84.129.
Flos aureus a Summo Pontifice Comiti Andegauensi donatus. 2.p. 223.
Fideiussorem non inueniens ad quid teneatur. 2.p.184.
Fidei initia quorumdam dubitatione incrementa sumpsere. 1.p. 108.
Fides apud Nicæam firmata sola perpetua firmitate tenenda. 1.par. 167.168.175.
Fides omnium bonorum caput. 1.p. 203. Gratia præueniente confertur. 1.p. 201. 203. 205.
sine Fide nihil est boni. 1. p. 205. Omnia per illam subsistunt. 1. par. 206.
de Filio Dei quid credendum. Vide *Christus.*
Fisci pars decima Ecclesiæ tribuenda. 2. par. 180.
Fœnus Clericis interdictum 2. p. 27.67.124.
Fratres alterius dignitate morderi non decet. 1. par. 68.

G

GElasij Papæ elogium. 1.p. 270.
Gentibus placere studens fidei consortium habere non potest. 1.p. 20.
Gentilium habitu incedere nefas. 1.p. 40.43.

Gratiæ effectus est fides, & bonæ voluntatis initium. 1.p. 201.202. & seq. 205.& seq.
sine Gratia nil velle, aut incipere, aut operari, aut perficere possumus. 1.p. 203.205.

H

HAbitus Idoli interdictus. 1.par. 38. 40. Quid sit huiusmodi habitus. 2.p. 259.
Hæreses variæ proferũtur & cum auctoribus suis anathematizantur. 1.p 181.& seq.
Homicidarum pœna. 2.p. 156.178.180.185.
Honoribus benemeriti decorandi. 1.p.49.
Honorij Augusti zelus in conseruandis Ecclesiæ Romanæ priuilegijs. 1.p. 88.
Humiles docendi. 1. p. 239.
Humilitate magis quam elatione crescitur. 1.p. 129.
Humilitatis priuilegium. 1. p. 73.

I

IEiunij Quadragesimalis obseruatio. 2.p.178.
Ignorantia Schismaticos non excusat. 1.p. 225. Ordinatos vero à Simoniacis excusat. 2.p. 172.
Illiterati non ordinandi. 1.p. 217. 2.p. 53.
Illyricum specialiter Ecclesiæ Romanæ subiectum. 1. p. 36.2.p.270.
Imagines an & quomodo adorandæ. 1.p. 262.
Imperatorum zelus in conseruandis Ecclesiæ Romanæ priuilegijs. 1.p. 88.
Infantes quo tempore baptizandi. 2.p.182.
Incendiarij quibus pœnis subijciantur. 2.p. 156. 191.
Infidelis Regi morte plectendus. 2.p.180.
Infidelitate quorumdam hæsitantium corda firmantur. 1.p.109.
Inquieti quid agere debeant, ignorant. 1.p. 38.

Instructio ad cultum diuinum necessaria. 2.p. 90.
Instituta Patrum non temeranda. 1.p. 33. 68. 73. 82. 84. 88. 94. 95. Vide *Decreta*.
Inuasor Ecclesiæ, quomodo, & a quo iudicandus. 2.p. 35.75.127.
Iudicio Ecclesiastico obnoxijs auxilium præstantes excommunicantur. 2.p. 160.
Iudicium Dominico die non promendum. 2.p. 41.86.

L

LAici Summi Pontificis electioni interesse non possunt. 1.p. 259.
Laicis in presbyterio simul cum Clericis stare vetatur. 2. p. 43. 88. 130.
Latrones, & illos celantes ac recipientes, qua pœna mulctandi. 2. par. 184.
Lectionis sacræ vtilitas. 2.p. 196.
Legati Apostolici, quomodo se gerere debeãt. 1.p. 56 & seq.
Legatis Imperialibus præsentibus Summi Pontificis electio facienda. 1.p. 267.
contra Licitum nitenti occurrendum. 1 p. 61.
Loca pia quomodo, & a quibus restauranda. 2.p. 47. 78.128.
Locis pijs qualiter ab Episcopo prouidendum. 2.p. 46.77. 128.

M

MAiorum Scita spernens S. Petrum habet æmulum. 1.p. 43. 64.
Malum impedire ne fiat, aut punire factum, non est persequi, sed diligere. 1.p. 228.
Mariæ Virginitas perpetua. 2.p. 191.
Metropolitani ordinatio vbi facienda. 2.p. 254.
Metropolitani præ cæteris Episcopis præcellere debent. 1.p. 149. Nullum Episcopum ordinent sine Cleri, & plebis

bis assensu. 1.p. 161. Fidem suam intra tres menses mittere, & pallium expetere tenentur. 2.p. 151. Quomodo pallio vti liceat. 2.p. 152. Ab eis Episcopi consecrandi. Ibid.

Ministeria vni Ecclesiæ destinata ad aliam non transferenda, 1.p. 215. 218.

Monachi Angeli dicuntur 1.p. 245. Sex alis vti Cherubim velantur. Ibid. Sacramenta administrare, & verbum Dei prædicare, a sua professione non alienũ. Ibidem. Ecclesiarum suarum Sacerdotes ab illis instituendi. 1.p. 254. Solo habitu incedentes ad Monasteriũ, & vitam religiosam adigendi. 2.p. 39. 80. 129. Quomodo instruendi. 2.p. 82. An extra septa Monasterij habitare, vel egredi liceat. 2.p. 83. Omnia eorum sunt communia. 2.par. 39. 81.

Monasteria, seu Episcopia feminis interdicta. 2.p. 26. 66. 123.

in Monasterijs sine crimine intromissi non sunt inuiti retinendi. 2.par. 42. 87. 130.

Moniales viro sociari nefas. 2.par. 40. 84. 129. Turpes inuentæ ab Episcopo emendandæ. Ibidem.

Munera super innocentẽ accipientes qua pœna afficiendi. 2. p. 185.

Mysteria sacra nunquam facienda sine Summi Pontificis, & Episcopi proprij expressione. 1. p. 242.

N

NIcænæ Synodi fides, & statuta perpetuo retinenda. 1.p. 167. 168. 175. Nil contra Sedem Romanam audet. 1.p. 66. 2.p. 273.

Nomen Deorum, Sanctis, & Angelis à Deo datum. 1.p. 186. Personis diuinis non competit. Ibidem.

Nomina varia Christo attributa. Vide *Christus*.

Obla-

O

OBlationes Fidelium à Sacerdotibus non recusandæ. 2.p. 31. In quot partes distribuendæ. 1.p. 218.
Oratorium quibus conditionibus consecrãdum. 1.p. 234.235. A domicilio suo constructoris inuite nõ auferendum. 2.p. 34.74.127.
Ordines sacri quo tempore conferendi. 1.p. 151. 218.
Ouilis religiosi augmentum, pastoralem respicit fructum. 1.p. 198.

P

PAllio quo tempore vti liceat Metropolitanis. 2.p. 152.
Parochi vltra tres dies Dominicos a parochia abesse non possunt. 2.p. 161.
Parochis indicanda sunt ab Episcopo excommunicatorum nomina. 2.p. 159.
Paruuli beneficia pecunijs adepti; ijs dimissis postea frui possunt. 2.p. 172.
Pastorum solicitudo quãta esse debeat. 1.p. 39. 2.p. 52. 196.
Patriarchatus tres à S. Petro fundati. 2.p. 291.
Patris & Filij idem Spiritus est. 1.p. 179. 2.p. 196.
Patrimoniũ Ecclesiæ Romanæ. 2. p. 163. Aliquid ex eo subtrahens excommunicatur. 2.p. 164. & seqq.
Patrum instituta non temeranda. 1.p. 63. 68. 73. 82. 199.
Pauperibus & peregrinis quarta pars reditus Ecclesiæ eroganda. 1. p. 218.
Perigenes à Bonifatio cõmendatur. 1.p. 53. 59. A Patrensibus ordinatus, & non receptus, à Corinthijs susciptur. 1. p. 55. 57. 58. 70. Synodus pro examinanda eius ordinatione improbatur. 1.p. 79. Contra Thessalonicensem Episcopum moliens arguigui-

guitur. 1.p.89.
Perrenij à nonnullis vexati causam ab Episcopo Thessalonicensi examinari, & iudicium ad se remitti iubet Bonifatius. 1.p. 64.
Persequi quid sit. 1. p. 228.
Petrus sibi gratulatur honorem sibi a Christo concessum, & auctoritatem seruari. 1.p.51.
Omnes Ecclesias, ceu Ecclesiæ fundamentum curat. 1.p. 56. 69. 74.
Non patitur perire Ecclesiæ suæ priuilegium. 1.p. 62. Violatores canonum compescit. Ibidem. In eo summa, & regimen Ecclesiæ consistit. 1.p. 65.69.73.74. Arx Sacerdotij illi commissa. 1.p. 51. In mansuetudine mites, in virga superbos arguit. 1. p. 67.
Philosophia fidei inimica. 1.p. 29.
Philosophorum habitus. Vide *Habitus*.
Photini hæresis. 1.p. 182.
an Pignorare liceat. 2.p. 184.
Pœnitentia pro culparum differentia moderanda. 2.p. 84.
Pontifex quis & a quibus eligendus. 1.par. 259. 260.
Prædones quibus pœnis afficiendi. 2.p. 157.
Præsulum appellatio quibus attributa. 2. par. 283.
Presbyteri ad Concilium Diœcesanum venire tenentur. 2.p. 97. Subtrahentes se ab Episcopi potestate, qualiter corripiendi. 2.p. 9.98. Ecclesiæ suæ rem alienare non possunt. 2.p. 133. Nonnisi ad certum locum sunt ordinandi. 2.p. 26.66. 124.
Presbyteros Ecclesijs, vel Xenodochijs prouidere ad quem spectet. 2.p. 99. 132.
Præsumptionibus illicitis aditus præcludendus. 1.p. 153.
Priuilegia Ecclesiæ conseruanda. 1.p. 72. 84. 112. 213. 216. 224. 252.

Probianus Lariſſeæ Epiſcopum à ſe laudatum perſequitur. 1.par. 10. Eccleſiam Demetriadę inuadit. 1.p. 19. Apud Sedem Apoſtolicam accuſatur. Ibid.& 253. Pupilli, & viduæ ſub tutela ſunt Epiſcopi. 2.p. 154.

Q

QVadrageſimale ieiunium. 2.p. 178. Quatuor tempora quo ordine celebranda. 2.p. 176.

R

REs Eccleſiarum quomodo diſpenſandæ. 1.p. 218. 2.p. 217. & ſeq. Iniuſtè detentæ cui reſtituendæ. 2. p. 210.
Reuerentia & ſubiectio Epiſcoporum. 1.p. 66. 68.
Romana Sedes totius Orbis caput. 2.p. 279.
Romano Pontifici obedientia in omnibus exhibenda. 2.p.208.211.
Romani Pontificis ſumma auctoritas. 1.p. 36 2.p. 226.258. 273.
Ruſticum miniſterii Sacerdotibus prohibitum 2.p.27.67.124.

S

SAbellij error. 1. par. 181.
Sacramẽtum qualiterexigendum. 2. p. 186.
Sacerdotes Angeli dicuntur. 1.p.245. Mediatores Dei & hominum. 2. p. 31. 71. 125. Eorum fidei & morum integritas. 1.p. 117. 166. & ſeq. Illorum pars eſt cæteros erudire. 1. p. 166. Quales conſecrandi. 1. p. 146. 154. & ſeq. 217. 2.p. 53. Debent eſſe mites & humiles corde. 1.p. 74. In eorum ordinationibus ſeruandus ordo Canonicus. 1. p. 172. 208. De conſenſu populi ſunt ordinandi. 2. p. 25.65.124. Eccleſijs aut Monaſterio ſpeciali ſunt deputandi. 2. p. 26. 66.124. A ludis abſtineant

ſtineant. Ibidem. Vt & a fœnore, venatione, aucupatione, & ruſtico miniſterio. 2.p. 27.67. 124. Pro inſtrumento conficiendo, aut teſtimonio non rogandi, niſi periclitetur veritas. 2.par. 28.68. 124. Sine clericali habitu nō compareant. 2.par. 27. 67.124. Fidelium oblationes recipiant. 2.p. 31.71. 125. Aduocatos habeant. 2.p.32.33.72. 73.126. Indocti a quibus inſtruendi. 2. par. 22.62.121. A celebratione Miſſæ ſuſpendendi. Ibidem. Simoniaci honore adempto condemnandi. 2.p. 20.60. Pro ſcelere depoſiti, in quo loco conſtituendi. 2.p.29.69.125. De femina ſuſpecti cum ea non loquantur. 2.p.30. 70. 125. Superflui quid. 2.p.95.304.

Sanctimoniales ſunt ſub tutela Epiſcopi. 2.par. 154. Ad iudicia ſæcularia trahi non poſſunt. Ibidem.

Schiſmatis etymologia. & pernicies. 1.p.225.

Schiſmatici non conſecrantur, ſed execrantur. 1.par.219. Ab eorum ſacrificijs abhorrendum. 1.p.223. Cum eis non communicandum. 1.p. 224.

Scholę reparandæ. 2.p.43. 89. 130.

Sedes Apoſtolica. Vide *Eccleſia Romana*.

Sedes ſecunda & tertia poſt Romanam. 1.par. 75.76. 2.p.276. 279.

Simoniaci dimiſſa Eccleſia ſimoniace obtenta, in alia miniſtrare non prohibentur. 2.p. 172. A dignitatibus, etiā dimiſſa Eccleſia repellūtur. 2.p. 173.

a Simoniacis ordinati non ſimoniace tolerandi. 2. 171. Ignorantia excuſat. Ibid.

Simoniacorum ordinatio irrita. Ibid.

Solidi Saxonum quales. 2.p. 194.

Sortilegi Sacerdotibus, & Eccleſijs tradendi. 2.p. 183.

Spei venenum est philosophia. 1.p. 39.
Spiritus sanctus Patris & Filij Spiritus est. 1.p. 179. & seq. 2.p. 196. & seqq.
Quid de Spiritu sancto fide tenendum. 1.p. 171. 175. 181. 2.p. 196. & seqq.
Stephania vxor olim Adriani Papæ cum filia rapta ab Eleutherio occiditur. 2.p. 137.
Subiectio Episcoporum Summo Pontifici. 1.p. 73. 75.
Summi Pontificis opus est, vt leges sanctæ Sedis, & sanctiones Patrum custodiantur. 1.p. 18. 112. Vide *Ecclesia Romana*.
Superbi comprimendi. 1. p. 239.
Superbia prima continentiæ labes. 1.p. 118.
Superbiæ malum. 1. par. 73.
Superstitiosi qualiter puniendi. 2.p. 183.
Synodi cur conuocatæ. 1. p. 226. & seqq. & cur apud S. Petrum celebratæ. 2.p. 130.
Synodorum vtilitas. 1.p. 139. 145. 156. Vsus cur introductus. 2.p. 226.
ad Synodum vocati conueniant. 2.p. 149. 156. 160.
Synodum generalem diiudicare ad quem spectet. 1.p. 227.

T

THeodoricus Rex Clericos contumaces ad Papam mittit. 2. par. 209.
Theodosius Sardiniæ præses Clericos Romam reuocatos venire prohibet, ob idque ab Honorio arguitur. 1. par. 291.
Theodosius rescriptum in præiudicium Ecclesiæ Romanæ concessum reuocat. 1.p. 84. 2.p. 273. 281. & illius priuilegia inconcussa seruari iubet. Ibid. Eadem innouat. 1.p. 152.
Thessalonicensis Ecclesiæ priuilegia. Vide *Episcopus Thessalonicensis*.

De Sanctissima Trinitate quid credendum. 1. p. 169. & seqq. 181. & seqq.

V

VAlentinianus & Marcianus pro Ecclesiæ Cõstantinopolitanæ secunda dignitate apud S. Leonem intercedũt. 1.p. 104. & seqq. Nil obtinent, & cur. 1.par. 110. & seqq.

Venatio Sacerdotibus & Clericis prohibita. 2.p. 27.67.124.

Viduarũ protectores sunt Episcopi. 2.p.154. Ad iudicia sæcularia trahi non possunt. Ibid.

Virginitas perpetua, & illibata B. Mariæ. 1.par. 191. & seqq.

Voluntati hominis fides non deputanda. 1. par. 204.

pro Vnitate seruanda vitia interdum toleranda. 1.p. 221.

Vxorem relinquere an & quo casu liceat. 2.par. 45.49.92.131. Ante baptismum ducta bigamiam non impedit. 1. p. 148.155.

Vxorem a marito etiam ob religionis prætextum separari non licet. 2.p. 49.92.

Vxores duas habere nefas. 2.p. 46.93.131.

X

XEnodochia qualiter ordinanda. 2.p. 35. 76.128.

Xenodochiis Sacerdotes constituere quis debeat. 2.p. 99.132.

Z

ZElus Imperatorum in conseruandis Ecclesiæ Romanæ priuilegijs 1. p. 188. 2. par. 208. 209.

FINIS.

Errata Primæ Partis.

pag.	linea.	errata.	correcta
32	10	*noſtrorum.*	*noſtrum.*
42	*vlt.*	*intellegat.*	*intelligat.*
124	*vlt.*	*fraudenter.*	*fraudentur.*
148	9	*inconſulro.*	*inconſulto.*
160	9	*onoroſum.*	*oneroſum.*
198	12	*iugitur.*	*iugiter.*
226	11	*conficrt.*	*conficit.*
253	14	*IONNES.*	*IOANNES.*
269	9	*periginantium.*	*peregrinantium.*

Errata ſecundæ Partis.

pag.	linea.	errata.	correcta.
81	19	*ſimiludinem.*	*ſimilitudinem.*
139	*vlt.*	*ſtatua.*	*ſtatuta.*
144	3	*cunctls.*	*cunctis.*
166	9	*vtllitatibus.*	*vtilitatibus.*
167	8	*Sacerdotibus.*	*Sacerdotibus.*
177	19	*eiunia.*	*ieiunia.*
241	3	*Iuinior.*	*Iunior.*
244	20	*ſecuritaris.*	*ſecuritatis.*
250	*vlt.*	*Hiſapniæ.*	*Hiſpaniæ.*

Errata primæ Partis.

pag.	linea.	errata.	corrige.
13	13		
43	vlt.		
84	vlt.		
102	9		
120	9		
192	12		
236	11		
252	14		
259	9		

Errata secundæ Partis.

pag.	linea.	errata.	corrige.
81	19		
139	vlt.		
164	3		
166	9		
167	8		
177	19		
241	3		
244	20		
250	vlt.		